IANI ANYSII VARIA POEMATA ET SATYRAE.

AD POMPEIVM COLVMNAM CARDINALEM.

Basilius Sabatius
Lectori.

Qua est simplicitate Ianus Anysius, nullum admisit praeconium amicorum. nihil haec ratus addere decoris operi per se probato, infelici nihil demere ignominiae.
Vale.

AD POMPEIVM COLVMNAM
THALIA.

Non aurum tibi, noster, atq; gemmas,
Sed Pompei, ingeny dedit labores.
Quos quum posteritas probarit, omnes
Illae diuitiae ualete Croesi.

IANI ANYSII VARIORVM POEMATVM

LIBER PRIMVS.

Ad Thaliam.

Nemo si leget hunc meum libellum,
Nulla pumice qui politus exit,
Nil est quod grauiter feram Thalia,
Quippe qui id fuerim ante suspicatus.
Sed si forte legetur, in lucello
Ponam, quod pater annuat deorum.
Hoc modo, tibi nuncupo Catulle,
Horati & tibi, quicquid est libelli,
Quando uos habui mihi magistros.
Illo, te uoueo malum poema,
Infelix opus, irritum laborem,
Orci manibus, ac malis tenebris.

Ad lectorem.

Eo ipso ordine, quo mihi exciderunt
Ore carmina, continet libellus.
Casta id simplicitas mihi imperauit.

Ad lectorem.

Omnem operam impendi, siqua me carmine possem
Tollere humo, ac fama uiuere post cineres.
Si secus eueniet, donabor nomine saltem,
Quod meruit, qui Ephesi nobile uertit opus.

Ad lectorem.

Quid ergo agendum, uanitas si est omnia?
Fefelli ita otium, ac malas cupidines.
Iuui parum, fateor, parum nocui tamen.

Ad Pompeium Columnam.

Quando es musarum Pompei certissimum asylum,
Te nostro celebrant toto Helicone deæ.

Ad Thaliam.

Thalia dic amabo, eritne syderum
Reflexus ullus auspicatus, optimus,
Ferens relapsa secula aurei senis?
Diu hæc cruenta permanent, diu scelus
Per omne, pectore eluere ab omnium
Bona omnia. es Thalia tristis otio.
Tacetq; Roma uerberans tuba polos,
Tacetq; Græciæ fluentior lyra,
Tacet Neapolis quam amœna Pieris.
Corona nulla florida atq; laurea
Adornat inclyta & diserta tempora.
Quis ergo erit modus Thalia? tristium
Recedet ira sæua numinum? trucis
Vt ira martis inter Alpium iuga
Reuincta, Caucasi uel intra inhospita,
Ferox inhorreat furore plurimo.
Valete musæ, Apollinis ualete uos
Fides canoræ, & aurium stupor chelys.
Valete Iacchi & o corymbi amabiles.

Ioci ualete, sacra cupidinum cohors.
Et o ualete Cypriæ deæ faces,
Nisi hæc fugantur execranda tempora.
Rapit me ad arma, squalida, impotens dea,
Fremens & intus horridum ferox fames.
Honor, triumphus undiq;, optimæq; opes
Fluunt ad arma. quare & arma tristia,
Doli, rapinæ, & impiæ iuuent neces,
Probe per hæc nefanda si usq; uiuitur.

Ad lectorem.

Ergo opus omne fuit satyra, ex ineunte libello,
Quin ex quo cecini carmina prima puer.
Nimirum ad satyras longo post tempore adiui,
Nempe dies index altera it alterius.

Epithaphium adolescentis ab amico interfecti.

O cubui, infandum, ferro confossus amici.
Ferbuit ira animus, impulit ira manum.
Vos iuuenes iræ primis date uincula flammis.
Discite ab interitu commoda uestra meo.

De portu neapolitano.

Quis molem iecit medys in fluctibus? ut gens
Squamosa obstupuit dorsa rigere maris.
Quis dulces summisit aquas? quas nauta ab ipsis
Puppibus haurire ad pocula grata queat.
Ferrandus Rex, qui Pelopemq; & Thesea magnum
Virtute excellit, gloria Parthenopes.

De Ferrando Rege.

V t laude æquaret magnum Ferrandus Achillem,
Insidijs petitur hic quoq; Deiphobi.
H oc superat certe, armatis tribus obstitit unus.
Consilium Pallas, Mars tulit auxilium.

Epith. eiusdem.

H ector ubi occubuit, cecidit mox Ilion ingens.
Ferrando extincto Parthenope alta ruis.

Ad puellam.

T e uelle ostentas, ubi non conceditur, at quum
Est locus ad Venerem, tum improba uelle negas.
H aud aliter medijs torquetur Tantalus undis.
Frustratur facilis lympha, miserq; sitit.

Ad Lucium Ianum Columnam.

Quam tecum bene, quàm benigne & actum
A bonis superis, proterue Luci,
Meos quum mihi reddidisti amores,
Meas delicias, meamq; uitam,
Meum cor, niueam meam puellam.
Nam si serius huc redisset illa,
Heu tum quis ego pessimis misellum
Te modis habuissem, ut omne in æuum
Exemplum fieres scelesti amoris.
Cauisti auspicio bono malum ingens,
Huc quando redijt puella, uerbis
Se purgans, precibusq; lachrymisq;,
Quis flecti indomiti queant leones,

Et tigres lepore esse mitiores.
Excepi teneram sinu puellam
Irarum immemor, immemor minarum.
Et quot, nequitia tua, diebus
Fuit me procul illa, basiando
Tot nobis puto millia osculorum
Reposta, ut numero serena cœli
Vincant sydera, Syrtiumq; arenam,
Læta ad Gargara misiasq; messes,
Vel quantum est Acheronte mortuorum.
Rumpare interea proterue Luci.

Ad amicum.

Vnde istæc sophia incidit silendi?
Vincit Pythagoræ hoc tacere lustrum.
Quis hic te Harpocrates tenet seuerus?
An nescis periisse sic Amyclas?
Tentaui hactenus excitare blandis
Verbis, muneribus quoq; haud minutis.
Fuerunt Apinæ hæc, & illa Tricæ.
An tanti tibi ueneunt papyri?
An floci facis optimum sodalem?
Linguam solue agedum diu ligatam,
Et mi te facias probatiorem.
Sin pergis rabiem incitare nostram,
Expecta hendecasyllabos trecentos.
Sic te forsitan omnibus cicadis,
Et picis faciam loquaciorem.

De natali Pompeij Columnæ.

Cras natalis erit mei patroni,
Pompeij, patris elegantiarum,
Puellæ & pueri uenustiores.
Cras componite succinos capillos,
Flauos, aureolos, amoris escam.
Cras intendite uinulos ocellos,
Spirantes tacitos amoris ignes.
Plena afferte canistra flosculorum,
Plenis fundite flosculos canistris.
Verum si tereti ligustra collo,
Et rosas niueis genis feretis,
O quanto melius, suauiusq;
Miscebunt oculis suos colores,
Spirabunt animæ suos odores.
Quid, o dij superi, licebit illos
Nostro carpere si arbitratu, & ardens
Quantum cor auet, ac sitit libido.
Hac una liceat die, seueri
Procul cedite socrates catonesq;.
Est tota hæc genio dies dicanda,
Est tota hæc genio dies terenda.
Huc Liber pede curre laxiore,
Affer cecuba, massica, & falerna,
Affer corsica, lesbia, atq; chia,
Affer millia & ipse poculorum,
Affer pocula, sed capaciora,

Doctæ ut Posthumiæ iubetur albo,
Vt Naœi tabulæ iubent magistri.
Vos hinc o pueri amouete lympham.
Percurrant calices amariores.
Et sic pectore gestiat uoluptas,
Vt salit patera loquax falernum.
Hinc hinc solicitæ, hinc abite curæ.
Adsis turba libidinariorum.
Fauni capripedes leuesq; nymphæ,
Festis lusibus ac parum pudicis,
Quam bene ad numerum canente auena,
Hunc diem efficite elegantiorem.
Et uos o ueneres cupidinesq;
Huc adducite gratias, lepores,
Lusus, illecebras, facetiasq;,
Et quantum est salium, leuisq; risus,
Multa & millia suauiationum,
Et quæ dulcia suauia insequuntur,
Diui hæc ducite ditiore cornu.
Non ausim facile citare musas,
Et bonum fidibus modisq; Phœbum,
Pompeius pater omnium leporum
Cyrrhæ sit licet educatus hortis,
Conuiuas decet esse non seueros.
Non amat genius seueritates.
Vestri est arbitrij uenire diui.
At saltem dabitis, diem serenum

Diem lætitiæ bonæ ministrum.
Omnes interea ore uos fauete.

Ad lectorem.

Pompeio Xenium dat Anysius, ac prece poscit,
Anni procedant candidiore nota.
Saturnalibus his diebus, ultro
Citroq; omnia læta cursitare.
Nobis dat senior deus libenter,
Quanuis sit rigidus, nimisq; durus.
Cæli filius ipse, seculorum.
Et sator simul & simul uorator.
Catones caueant notare quicquam:
Seueri nimis & nimis molesti.
Inuasit nisi forte furor, cupiuntq;, poetæ.
Discere commoti cornibus an ne petant.

Ad Philocalum.

Quæ nam Philocale impudentia hæc est?
Heus, istos oculos manusq;, fines.
Nisi intra retinens suos coerces,
Expecta hendecasyllabos frequentes.
Nam quid tot tibi profuere chartæ,
Quid noctes uigiles, labor pudicus,
Si noscis probum, & improbum capessis,
Amici immemor, immemor tuiq;?
Ni te restituis tibi, & resumis
Mentem, quam malus abstulit Cupido,
Mentem olim magis ac magis quietam,

Quam fertur mare, Tethyos uolucris
Quum nidos struit, educatq; pullos.
Mutanda est ratio modusq; nobis,
Quando nil monitus iuuant precesq;,
Truces arripiam, inferamq; iambos,
Ne dicas tibi non fuisse dictum.

Ad Cottam.

Vidi molliculam tuam Lycorin
Conditam salibus facetysq;,
Altos quæ recinat diserta amores.
Non sapit nemora, horridamue syluam,
Non Cotta hæc sapit auias salebras,
Sed Cyrrham sapit & uireta Pindi,
Veronæ & sapit hortulos beatæ.
Vincunt oscula, Cypridis columbas,
Amplexus, hederas tenaciores.
Nonne es supra homines amans beatus?
Quin hæc ipsa tibi nitens Lycoris
Quando syderibus nitore certat,
Tibi ipsos facit inuidere diuos.
O te dys superis beatiorem.
At me, pro superi, ferus Cupido
Quam malis cruciat modis misellum.
Non meam precibus queo Cytherin
Non meos lachrymis mouere amores.
Vna hæc omnibus est Notisq; & Euris,
Vna est æquoris acrior procellis.

Si tu qui ſcopulos trahis, feraſq;,
Et ſiſtis fluuios potente plectro,
Non mihi auxilio aduolas repente,
De me actum eſt miſere, nam ea eſt medullam
Flamma, ut mox cinerem ardeam ſupremum.

Ad Federicum regno pulſum.

Heu miſeros, mortale genus, circum undiq; ſeptum
Inſidijs, fortuna homines quibus improba ludit.
Quiſquis es, o regno nimium ne fide ſuperbo
Cræſe tuo, imperio ſiue orbis fixeris aras
Finibus extremis, omnis pateatq; per oras
Oceanus, qua ſurgenti feruescit eoo,
Qua tumet occiduo, geminas & qua aſpicit Arctos.
Seu diues, quantum gemmæ, fuluiq; metalli
Aethiopeſq, indiq; tenent, æquorq; ſub undis
Poſsideas, ſpatio exiguo ſi deijcit hæc fors,
Hoc lapſu grauiore, ſedes quo celſior axe.
Nec, ſiqui oppreſsi fatis, extrema feruntq;,
Et tellus neget, & cœlum, & ſpes ipſa ſalutem,
Spem tamen amittant. ſpes uiuis non perit unquam.
Stat tempus medicina malis. Quam rupe Prometheus
Herculeam ſperabat opem? quam troïa uirgo,
Dum monſtro informi ſcopulo deuincta maneret?
Quam, patriam fugiens, cæco correpta furore
Gnoſia, germani pendens pro ſanguine pœnas?
Fœnore cui magno medijs in fluctibus orbæ
Conſuluit deus, illuſam & reſpexit amantem.

Quot patria extorres longo post tempore, nunquam
Speratas uisere domos, carosq; penates.
Quot clari reges, longos amissa per annos
Sceptra resumpserunt, fatorum numine dextro.
Ni tempus pereat, sistantq; uolumina cœli,
Ni mors sæua animam pallentibus obruat umbris,
Nemo adeo miser est, cui non sperare superfit.

Ad Telesillam.

Vix tandem precibus pretioq; impertis amores.
Ergo nil gratis scis Telesilla dare.

In uenerem emptam.

Qui primus pretio sanctum corrupit amorem,
Fregit naturæ dulcia uincla ferus.
Nam pretio empta Venus non ullo fœdere firma est,
Sed quam iunxit amor, permanet illa uenus.

De licentia poetarum.

Dicere cuncta licet securo pectore uati.
Carmina si peccant, carmina plecte, licet.

De Cotta.

Dicite o magnis bona uerba diuis
Vos boni Cottæ unanimi sodales.
Thura nunc aris date, nunc odoros
Spargite flores.
Longa iam tandem iuga seruitutis
Cotta soluisti, iuga, quæ pro amici
Optimi uita subiisti, amicorum
Optime Cotta.

Liberatori sacra ferte patri
Quicquid est terris sociorum, & uno
Discite a Cotta socij esse ueri
Esse & amici.
Vendidit sese bonus ille Cotta,
Vt suum summum Pyladem rapacis
Plurimo ictum uulnere liberaret
Limine ab Orci.
Vnus hic noster paria illa prisci
Suscitat secli, reuocatq; amicos.
Ergo io Cottam calebretis omnes
Candidi amici.
Candidi Cottam celebrate amici.
O diem lætum. i puer, atq; rege
Condita Alphonso seniore, chia &
Corsica prome.
Hinc sales, illinc faciles cachinni
Currite, & musæ canite omne blandum.
Hunc diem Cottæ genio sacremus
Candidi amici.

Ad Cytherin.

Diuina es mea per Iouem Cytheri,
A deis genita, a deisq; missa,
Nos ut ætherijs bonis beares.
Nam rides quoties nitenti ocello,
Tu sydus Veneris Iouisq; rides.

Si quid tu loqueris, deûmq; nectar,
Et cœli loqueris beatitatem.
Pulchra es, quæ superes nitore Phœbum,
Et candore nitentis ora Phœbes.
Quæ genis uiolæ rosæq; uernant.
Quo grato cilium nigrore fulget.
Colla per niuea fluunt capilli,
Halant ambrosiam aurei capilli.
Ostro labra ardent corallina, & quæ
Exugant animam intima ex medulla.
Quæ sedent geminæ papillæ in illo
Illo pectore, poma, lilieta
Sic inter hilarant cor, atq; ocellos.
Ludunt hic charites iocusq; amorq;.
Sed o quæ redolet sinus beatus,
Vnguenta assyria, arrabumq; messes.
Tota es deliciæ, atq; tota luxus.
Iurarim Venerem esse te Cytheri.

Epithaphium Violæ.

Pallet, floret, olet uiola hoc tumulata sepulchro.
Mors, amor, & uirtus hæc tria dona ferunt.

Epithaphium Pontani.

Pontanus hic situs est, ne hospes lachruma.
Accepit inclytam animam sinus cœli.
Potuit ossa breuis capere tumulus,
Ast gloriæ uiri capax non est orbis.
Vale uiator.

Ad lectorem.

Miraculum audi lector.in somnis,ut est,
Pontano ego tumulum erigens,carmen sacrum
Feci camœnis,istud ipsum,quod uides.
Post,somnus ubi me liquit,admodum quidem
Placuit.uirum summis uidebar ac suis
Ornasse laudibus.solutis uersibus,
Tum cœpi iambos nectere in locis suis,
Sursum deorsum uerba uertens.quid moror.
Te pluribus,honor,gratia omnis,ac uenus
Peribat. id pleriq; docti postea
Tentare amici ausi,nihil factum est tamen,
Et sæpe nos,profecimus itidem nihil.
Sic liquimus,donec melius occurrerit.
At forte sic,deo magistro,opus fuit
Facto.monent antiqua ita etiam carmina,
Subiecta nullis legibus duris metri.

Egloga Melisæus.

Aegilus. Mycon.

Vnde Mycon quæsite diu,longumq; uocate
Omnibus e tumulis,tua tandem armenta reuisis?
Aspice,candenti medium tenet æthera Titan
Sydere,tu mane in noctem rediturus abisti.
Sic tibi sunt tauri curæ,fœtæq; iuuencæ,
Et uituli,sic mille mouent te furta luporum?
Quam niger ille mihi taurus succenderit iram,
Qui referam,Alphei in tauros dum prælia miscet.

Meonis hunc illi uicina ad busta premebant.
Scilicet a proprijs mihi sunt hæc otia rebus.
At fateor meruisse, sciunt hæc robora, & illa
Carpinus, ut bis ouem fœam, paruumq; Lacona
Faucibus eripui tristis lupi. & hæc mea testis
Vox tibi, ut ecce lupum clamans pene ilia rupi.
My. *Aegile, ne uitio, nimium nos esse moratos*
Appone, hæc eadem mora, uel tua seria præter
Omnia, uel præter uitam tibi grata fuisset.
Quas modo, quas lachrymas, quos cãtus Aegile ab illo,
Illo inquam audiui, nuper qui his appulit oris,
Non nosti, non fama tuas peruenit ad aures?
Viseret ut uiridis Meliseum in flore senectæ.
Pastorum columen, quanti hunc Meliseus habebat,
Et dixit quoties, Phœbi spes altera Cotta est.
Cotta tuo ingenio blandæ arrisere camœnæ,
Nascentiq; tibi stillarunt dulcia mella
Cecropiæ uolucres. lauro tu dignus & ara,
Et cui uiuenti pastores dona quotannis
Persoluamus, & inde deum post Pana colamus.
Aeg. *Audiui hunc equidem mirũ canere. hũc heri ad Arcũ*
Tollebant cœlo Summotius & Chariteus.
Sed tu perge puer bacchatas pectore toto
Perge Mycon lepidis restinguere cantibus iras.
Has recine, has lachrymas, quibus ille ornauit amicum
Te uenerande senex. nam syluæ & saxa loquuntur,
Te sine pastores mansisse, ut frondis honore

Laurus, aqua ut fontes, orbataq; frugibus arua.
An quicquam tali poterat mihi munere maius
Afferri? & patulæ fagi consedimus umbra.
Inuitant tremulæq; auræ, & ridentia circum
Gramina, & inuitant rauca nos uoce palumbes.
My. *Coruus aget liquido morientem carmine cycnum,*
Et tenues stipulæ contendent dicere contra
Plectra dei intonsi, & Panos superare cicutas.
Sirenumq; modos imitabitur ore cicada.
Quid faciam? cantare urgent tua iussa, monentq;
Crispantes zephyri nemorum sublime cacumen,
Et locus hic, rapido qui nos defendit ab æstu.
Verba quidem teneo, numeri si uerba sequantur.
Ad tumulum hæc uates magni senis ille canebat.
Et circum syluæ, atq; feræ, atq; armenta silebant.
Nona dies rutila consurgit lampade mundo,
Qua te condidimus niueo Melisee sepulchro.
Qua tibi, quod tantum optasti, reseruauimus urnam
Coniugis, & caræ te reddidimus Ariadnæ.
Dicite Pierides, dic fistula flebile carmen.
Quæ te Phœbe plagæ, quæ uos tenuere Camœnæ?
An forte hesperidum redolentia mala tenebant
Citria, quum Lachesis Melisei funus obibat?
Dicite Pierides, dic fistula flebile carmen.
Te circum aeriæ extinctum fleuere uolucres,
Teq; feræ, & nemorum planxerunt pectora nymphæ.
Te moriente sacri motarunt culmina montes,

Et rapido ſyluas uexarunt turbine cauri,
Et ponto fregere rates, & flumina curſus
Mutauere ſuos, heu tanti ſigna doloris.
Dicite Pierides, dic fiſtula flebile carmen.
Vomere ſeu findunt terram, ſeu gramina tondent,
Ipſi flent tauri Meliſeum, ipſæq; iuuencæ.
Agricolæq; timent læto pro ſemine triſtes
Ne urticæ ueniant, ſterileſq; oriantur auenæ.
Dicite Pierides, dic fiſtula flebile carmen.
Suprema hæc dixit Meliſeus. Vos mihi fidi
Paſtores ouium, fidiq; ualete bubulci.
Vobis ſint faciles nymphæ, ſint ſemper amores.
Et mea cura boues, uiduæq; ualete capellæ.
Vos neq; furta lupi lædant, turpeſue podagræ.
Et tu deliciæ morientis, tu ultima uerba
Cara cape Antiniana, & tu mihi culta Patulci.
Eſte una, ſemperq; una ſic uiuite uitam,
Tityrum uti coluit Meliſeus ſemper amicum.
Vtraq; perpetuo ſublimis honore, iuuenta
Perpetua florens. erit & dum montibus umbra,
Dum proni fluuij liquido pede in æquora current,
Dicent agricolæ, Antiniana hæc, illa Patulcis.
Dicite Pierides, dic fiſtula flebile carmen.
Muſa refer magni Meliſei funera, uel quæ
Pompa ſequuta uirum, ſiculo qua forſan ab illo
Paſtorum nemo eſt tumulo donatus & aris.
Funera quis paſtor, quæ non comitata puella eſt.

Et quicunq; bonus felices incolit agros?
Hic Petasillus erat, multoq; Faburnus honore
Incedens, aderat Lepidina, aderat Saluncus,
Syluestres aderant satyri. uno hoc tempore tristis
Affuit, oblitus pandum Silenus asellum.
Ipse suum oblitus autunnum uenit Iacchus.
Venit & e pelago Nereus, & cærula Tethys
Stipata & prole Oceani, & prole fluuiorum.
Pastores flebant Meliseum, dij quoq; flebant.
Dicite Pierides, dic fistula flebile carmen.
Pastores agedum cœli tollamus ad astra
Diuinum Meliseum. huius nam summa potestas
Et gregis & segetis morbos arcere malignos,
Pastorumq; animo tristes auertere curas.
Flebile iam musæ, iam fistula mittite carmen.
Hic ubi de pario tumulus stat marmore, pulchra
Vt Phœbo, & Bacco, Meliseo altaria surgant.
Hic toties uotis faciles fumabitis aræ,
Pectora pastorum, quoties mala cura peruret.
Dicite pastores Meliseum, dicite musæ.
Magne parens salue, & cum syderea Ariadna
Huc ades o Melisee, sinu tibi lilia pleno
Dant pueri, eq; rosis nectunt tibi serta puellæ,
Teq; uocant sacro lustrantes carmine bustum.
Dicite pastores Meliseum, dicite musæ.
Aeg. *Quod labentis aquæ murmur, qui sibilus auræ,*
Quæ tantum uolucrum mulserunt pectora uoces?

Quid uel ad Amphrysum melius cantabat Apollo?
Fortunate Mycon cui tantum audire poetam
Contigit, hæc noster cantasset talia solus
Acius, Arcadiam qui adyt, partosq; canendo
Inde greges uictor sebethidas egit ad undas.
Ergo hæc ne pereant, leui hoc in cortice fagi
Incidamus, erit quæ umbra, & quæ carmine felix.
Et ne aliquo prorsus cantent sine munere uates,
De grege nunc nostro lactantum pignora matrum
Polliceor Cottæ tris hœdos, caseolos sex,
Fiscellasq; nouem lactis de flore recocti.
At tu docte puer tanto pro carmine habeto
Peram multiplicem loculis. te munere pauper
Aegilus exiguo donat. sed si mihi detur
Speratas ut oues tyberina ad flumina pascam,
Mecum eris, atq; istæc dominis armenta relinques.
Nox ruit, ad fluuium pastæ properate capellæ.

Ad Pompeium Columnam.

Pompei, quando ego nil non tibi debeo,
Seu pascam pecus in mænalijs iugis,
Te syluæ resonent & nemora Aegilon.
Seu læta arua canam, te agricolam bonum
Agnoscant segetes, consitæ & arbores.
Martis siue fremant horrida prælia,
Cantu te, liceat, terribili intonem.
Nunc magni Melisei accipe næniam,
Quam Cotta ad tumulum fleuit, eam Mycon

Dum cultis repetit uersibus, in genu
Percurrente manu scripsit Anysius.

Egloga Murenus.

Murenus piscator, Quercius & Hircanus
pastores, Cursor.

Mu. *Sum Querci, ut cernis, tacitis labentibus annis*
Iam grauior, pelagi tantum ac telluris obiui.
Et ni mens cecidit, nunquam tot sydera cœli
Turbari signis memini, nec nubila tantum,
Et pluuias, rapidumq; Notum seruare tenorem.
Ter latuit Phœbe, & pleno ter uisit olympum
Lumine, quum lucri quicquam non attulit æquor.
Sed quid tam subito posuit furor, & maris ira,
Et siluere Euri, subitoq; serena refulsit
Regia cœlicolum, & toto lux reddita ponto est:
Sospitet augurium pater, & pia lumina uertat.

Qu. *Hæc eadem exesa, dum uix defendimus imbrem*
Rupe, supercilium sylua etsi plurima denset,
Cum nostro Hircano summo hoc in culmine montis
Lamentabamur. quum Iupiter ore nitenti
Arrisit mundo. Hircane clarissima diuum
Signa uides. faustoq; omen firmauimus ore.
Interea serus supremum clausit olympum
Hesperus, omne pecus septisq; coegimus altis.
Ecce autem aspicimus sublimia templa deorum,
Aerias arces, urbem, montemq; propinquum
Igni inflammari, patrio de more triumphi.

Quæ nam Parthenopen, cupidi cognoscere, tanta
Lætitia impellat, summo de uertice anhelì
Currimus, ac pecori nullo custode relicto.
Sed uideo? an noctis tenebræ mea lumina fallunt?
Quin uideo ad nos currentem non passibus æquis.
Sic te fortunent superi, uideasq; senectam,
Dic iuuenis, nostri quis tantus nuntius urbem
Parthenopen hilaret tonitruq; & lumine crebro?
Cu. Erigite o animos socij, & celebrate per agros
Hæc uestros. Consaluus io fortissimus heros
Pontibus est ausus tumidum transmittere Lyrin,
Nec numerosa manus gallorum sustinet hostem,
Sed conuersa fugam in fœdam dat terga secanda
Inuictæ Hesperiæ insigni cum clade phalangi.
Quis referat tristi consperfa cruore Maricæ
Littora, & ausonios squalentes funere campos?
Quæ cædum facies, undæ quæ corpora uoluunt?
Hæc rerum summa est, cogor properare, ualete.
Mu. Dij, iuuenis referant tanto pro munere grates,
Munere, quo æternum florenti pace fruamur.
Pascere tu poteris lætas Hircane capellas
Omnibus in syluis, uno obseruante Lycisca
Damna lupi, & Querci nullos trepidare furentes
Palantum incursus, quæ dira licentia prædæ est.
Atq; ego Neptuni modo sim securus ab ira,
Quid timeam? tutusq; die noctisq; per umbram.
Lac niueum, tenerosue hœdos tu, ego sæpe ferebam

Aequoris immensi dotes defessus in urbem.
Et quoties uacui loculos discessimus urbe.
Ah triste est meminisse, trucis quo audacia creuit
Militiæ, nostro fuerat quæ tempore, ab ista
Tam differt, placidum nigris quam fluctibus æquor.
Quare agite o socij, mulcentes æthera cantu,
Quo soliti, ipse undas, & uos compescere flatus
Ventorum, atq; hyemis rabiem, celeremus amicis
Ferre hanc lætitiam, & uino duplicemus honorem.
Incipiamq; prior, mox uestra alterna sequantur.
Ludite delphines toto simul æquore, & omne
Temperet alcyone placidum mare, temperet auras.
Qu. *Et tu noster amor circum dumeta Cytheri*
Nos fugiens, prato mecum iam fessa recumbe.
Hir. *Me tenui stipula ualles mulcente, petulci*
Incursent capro, non æquis cornibus hœdi.
Mu. *Quin uos nereides gelido succeditis antro,*
Dum Venus ignitos, mollesq; inspirat amores.
Dulcia perfundent sirenum carmina somnos,
Oscula sopitis rapientur dulcia labris.
Qu. *O mihi, causa mali, tunc lumina cæca fuissent,*
Aut animam tristem rapuisset pallida parca,
Aut miseri gemitus flexent te dura Cytheri.
Vt uidi, ut perij, insanum bibi ut ossibus ignem.
Hir. *Ante rosis cœleste decus, uiolisq; peribit,*
Lacq; nigror, mellisq; fauos uitabit amaror,
Vbera & ante agnis mater distenta negabit,

Syluia, quam nostri capiant me obliuia amoris.
Mu. Rupe sub excelsa statuam tibi Magne trophæum,
Distinctum uaria concha, uarioq; lapillo.
Qu. Te syluæ & nemora alta sonent, te culta camœnis
Antra uocent, reboent ualles, cantentq; cicadæ.
Hir. Inscribam tenera tantum Consalue triumphum
Ilice, quam nullum findat per sæcula ferrum.
Mu. Oceano patri centum, & tibi cærula Tethys
Centum, Neptuno centum mactabimus orcas.
Cymothoeq;, Xanteq;, & tibi maxime Protheu
Ostrea multa, cadet multusq; hirsutus echinus.
Tene ego prætercam donis Venus aurea? quando
Tu ponto genita, flammis præcordia aduris.
Te propter facilis Galathea, & candida Glauce
Fluctibus in medijs tacitum suspirat amorem.
Qu. Et te sancta Pales, per compita & arua canentes
Lusibus incomptis, multo cingemus anetho,
Et pingui cythiso, atq; thymo, panaceq;, rosaq;.
Pan, neq; parua, nouem niueo mulctralia lacte
Explebo cornute tibi, si Mænala paulum
Linques, Syluano totidem, totidemq; proteruis
Faunis, & faciam nymphis syluestribus agnam,
Agnam fontanis, furuam tibi Cynthia capram.
Hir. Ite meæ faciles ad flumina nota capellæ,
Lætitiæ tantæ pretium, uos fonte lauabo,
Et Cythiso pascam, rutilo sub sydere Phœbi.
Ite meæ faciles ad flumina nota capellæ.

Hic calamis nuper moriens quos liquit Hymellas
Alliciam cantus uolucrum, & salientibus hœdis
Inflabo ad numeros, toruum spectante capella.
Ite meæ faciles ad flumina nota capellæ.

Epith. *Annæ Anysiæ.*

Crimina dum nostri fastidit Anysia secli,
Ad superos fugiens Anna reuisit auos.

Epith. Regis Federici.

Vis pepulit regno, reditum uirtute parabam.
Fraus magnis cœptis improba se opposuit.
Et cura & senio & morbo confectus, olympi,
Liber ab exilio, regna adamata peto.

Ad principem Rossani.

Dic princeps bone, quid liberius genus
Hoc uitæ tibi præstantius attulit?
Anne illam miseram credis ab hac nimis
Fortuna esse hilari procul?
Verum pende prius lance pari omnia,
Quæ carcer mala dispendia corpori
Firmo, quæue animo insuperabili
Vnquam incusserit horridus.
Est idem usq; animus, quem ualidus uigor
Virtutis, ualido robore fulserit,
Et quem clara domi commoneant deis
Appensa spolia hostium.
Hunc quantum fugiens parthus & æthiops
Emittit iaculorum obtenebrans diem,

Vel nudum haud medijs terreat hostibus,
Interq; arma furentia.
Hunc cæcis tenebris Tartarus implicet,
Et uasto Oceanus gurgite, non sine
Et Cauri furijs, & Iouis igneo
Telo & grandine & imbribus.
Non unquam atterat hunc fors odio suo,
Non durus labor. aurum uelut ignibus
Sic uirtus medijs dia laboribus
Fit semper melior uiri.
Idem es, qualis eras carcere in aspero,
Atq; idem fueris, si imperium geras
Terrarum dominus, ni uelit esse uir-
Tus mutabilis & leuis.

Ad Suardinum.

Sic te Bacchus amet, tuamq; semper
Cellam fulciat optimo Lyæo
Suardine, bonæ quem amant camœnæ,
Atrocem mihi depulit dolorem
Illud nectareum tuum Salernum.
Nam bibi simul, ciulans recessit
Toto e pectore langor, & deorum
In conuiuia sum repente missus,
Nam duxit radio nepos Atlantis.
Sis felix ager, ista qui tulisti
Tuis fusciculis ager racemis

Bacchi munera, nobilem liquorem.
Sit precor tibi Iupiter benignus,
Vel solem cupias, uel imbrem amicum,
Et parens tibi terra blandiatur.
Nascantur uiolæ rosæq; passim,
Et flores uario colore uernent.
Spirentq; Zephiri, nec Auster atrox
In te quid fremat impotente flatu.

In febrem.

Ah febris, mihi candidum
Pene præripuisti ex oculis diem.
Ah, quum me propius nigræ
Cernebam trepidum ferre pedem neci.
Tu testis mihi tertia
Tu lux, quum in glaciem corrigui, & parens
Afflicta, & famuli, & mei
Amici, huberibus, pro gelido toro
Corrumpunt lachrymis genas.
At matris precibus ab Ioue maximo
Vitalis redijt uigor.
Sed magnum superat, cum febre prælium
Pugnandum hoste graui, & manu in-
Defessa. hæc rapidis æstibus intima
Torret uiscera, & hæc uaga
Per campos patulos, ut sine freno equus
Excurrit, uarios ciens
Motus libera, & urit sine lege atrox.

Hinc fontes cupere aridum os,
Cor ardens nemora & prata uirentia
Sub rupe egelida Algidi
Rauco præcipitis murmure, & algida
Sub ualle arboribus tegi,
Blando hic quum uolucres carmine concinunt,
Atq; auræ placidum sonant.
Quippe hæc diuitijs, quas habet æquor, &
Vasti rex Erebi, *minus*
Mutassem. quid enim diuitiæ iuuant,
Quum de uita agitur? uale
Iam tandem febris, atq; hinc procul aufuge,
Febris Tisiphones *soror,*
Ipse quam genitor Tartarus *horreat.*

Ad Petronium.

Quando hunc terribilem uiscerum ab intimis
Plutona *excuties, dic bone & impiger*
Petroni? *nimis hic te*
Curis solicitum tenet.
Hic te per triuia & compita anhelum agit,
Vt uexant culices niliacam bouem,
Vtq; altæ ad sacra diuæ
Matronas phrygias furor
In campos rapit, inq; ardua Dindyma.
Illos quum memini per medios uagum
Te soles, peream ni
Totus percitus horreo.

Ah sol ne rapidis ustilet æstibus.
Nunc imbres grauidi, nunc gelidæ niues,
At tu deuius erras
Tota urbe uuidus & rigens.
Ah plantas glacies ne secet aspera.
Ne tecum obsecro inhumaniter usq; agas.
Suas da genio horas,
Horas lætitiæ bonæ.

In Leonem. de domicilla.

Dij te Leo perdant, meas qui funditus
Curas adegisti improbe
Atram in stygem, curas adeo amatas mihi,
Vt nunquam ab alto pectore
Turbarit alia mentis occupatio.
Fundum hic mihi abstulit datum
A Liuianis, uita quis uiuit mea.
Fors omnia obterens bona,
Bonis iniqua, fluctibusq; iræ æstuans,
Cœtus in hostis rustici,
Locumq; in asperum undecunq; rupibus,
Meum impulit ducem, nimis
Heu credulum hospitalibus dijs. improbus
Hinc cœpit ille perfidæ
Diu intus alta efferre mentis ulcera.
Fundum mihi abstulit meum, ac
Nostram in necem nullum reliquit pessimus
Locum sceleste audaciæ.

O multum agelle amate, dulces o mihi
Curæ uagatæ in intima
P ersæpe mentis otiosæ, liberam
Tecum statueram uiuere
V itam, solutam legibus uulgi leuis,
Aulæq; seruitutibus,
E t gloria, aurisq; aurium lætalibus.
Tuis ego in complexibus
S pernam furentes æquoris sæui impetus,
Spernam tremendi classici
T rucem boatum, & tristia arma militum.
Te nostra dextera excolens,
E t mitia inserens, & amputans fera,
R eddam te agelle, ut assolet
N ouo marita coniugi se reddere
Amanti amans spectabilem.
E t tu mi agelle solus amor, & tu mihi
Dilecta amica, & unicum
S olamen, & dulcis quies, Anysium
Lyra aurea, plectro aureo,
A lta sub ilice accinentem suauiter,
Musasq; Pieri e sacra
T uas in oras, & petulcos montium
Deos, & una blandulas
N ymphas uirentis syluæ, & una fontium,
Pede ire spectabis leui.
I uuabit arcta sæpe uallium loca

Sepire nodosa plaga, & Circundare alta lustra plurima cane.
Modo & fugaces persequi
Ceruos, & aduenam modo pedicis gruem,
Auesq; uisco fallere.
Subiecta sæpe & aduolare in æquora
Cum rostri curua alite.
Hic nata tristi sydere misera auis feret
Stragem coturnix plurimam.
Rapaxq; miluus strage non pharsalica
Cædem minorem perferet.
At cornicen receptui ut cecinit strepens,
Aut uuidum æstu, aut imbribus,
Tu frigore ad focum, æstu ad umbras accipis,
Et humidum siccas caput,
Et ore, dulci non sine osculo, eluis
Mea domicilla puluerem.
Tum munera opus apponis impigræ manus,
Nostræ labores dexteræ.
Salit Lyæus canthoro amplo spumicans,
Ceresq; nostro ex horreo
Prodit. uaporibus ferinæ at interim
Pingues domantur feruidis.
Lassatus inde Iacchi atrocis ui graui
Toro solutus accubo.
Sed o quid amens somnio, dirus te habet
Leo ille agelle, & ni manu

Opem ferat ualente noster Hercules,
Vale mi agelle, uiximus.

LIBER SECVNDVS.

De pace.

Ecce pax nobis redijt, tot annos
Exul ad Parthos, *Syriosq;, et* Indos,
Præferens spicam rutilo ore tandem
Aduena uenit.
Venit, extremo renatabat ore
Spiritus fractus cumulo malorum.
Spes bona en cœpit reuirescere alta
Mentis in arce.
Spe bona en uenit dea amicta circum.
Non dea incessu patuit, fidem non
Iupiter fecit, pluuio serenum
Tempore brumæ
Pallidæ fulgens? pueri quid ergo
Statis ardenti uiolas in hirtis
Rupibus manu legere, inq; bianti
Valle nouellas?
Est quoq; florum Ioue *blandiente*
Copia. et uos o iuuenes, uirentes
Palladis ramos pede concitato
Ferte ab apricis
Collibus, misti teneris puellis,

Dicite & longa chorea auspicatum
Pacis antiquæ reditum, & piorum
Numina diuum.
En diu, nobis, profugæ remigrant
Gratiæ, & ludis strepit omnis ora.
Compitis fausto Cererem, Palemq;,
Ore cientes.
Rustici, pingues adolent cupressos,
Citriosq;, & iuniperos odoras,
Omnis in syluis pecorum magister
Ludit auena.
O quot heroes patriam reuisent,
Thuraq; incendent reduci Ioui, alta &
Templa dijs postliminio recepti
Cum prece ponent.
Dij mihi proferte dies, uidebo
Floridam tantis patriam bonis. sed
Aureo o spectem solio sedentem,
Iuraq; dantem
Inclyti regem generis deorum.
Tunc cadis plenos pueri e repostis
Cantharos, Baccho, liceat furente
Promite amicis.

Ad Pomponium.

Ne te, ne tantum crucia, ne numina læde
Pomponi amaris questibus.

Quid ni me afflictem, si morbus uiribus, inquis,
Nequit repelli, & in dies
Gliscit, & ardenti liquuntur membra ueneno?
Quid ergo ages? male in deos
Pugnatur superos, naturamq; omnipotentem.
Hæc, nescio an fato, an suo
Arbitrio partus proprios necat, ut necat ardens
Suos catellos uipera.
Ergo est, arbitrium superet qui morbus, & illam
Stoæ impotens iactantiam?
Quam uitam, heu facinus, mortales uiuimus ægri.
Sed est ferendum. nam semel
Ingenitum uitium, longo si marcuit æuo,
Omnis salutis spes uale.
Heu miseros orbis ciues. stat uastus in alto
Sic scoplus ægeo. ut parum,
Aspice, formidat luctantis æquoris iras,
Vndis ut extulit caput.
Inq; ilex syluis centum durata per annos,
Cuius uidet fibras Charon,
Non ne procellis ardua stat, temnitq; furorem
Sæuum minantis Africi?
Ne tu igitur uexa superos. quod pectore in imo
Semel uitium inhæsit, fer, &
Expecta abrumpi fatalia fila sororum, &
Disce mori in hora millies.

Ad febrem.

Ne me, ne febris facibus istis impete,
Omnes per superos deos precamur.
An me tu forsan tenebricosis faucibus
Orci impellere tendis impotentis?
De te quid tantum merui, ut horrida luam
Morte? in me ne adeo dea æqua sæui.
Quondam securus calamus in te arsit, male
Heu doctus rabiem tui furoris.
Do tandem pœnas sceleris, atq; pœnitet
Diræ diua dicacitatis. at tu
Quando sat pœnæ miser ab intimis dedi
Vsq; uisceribus, quiesce tandem,
Et robur redde, & uegeta membra, mentis &
Mihi restituas serenitatem.
Cerne ut uestis laxior ab humero defluit,
Vt squalet cutis, & uigor recessit,
Vt gressu poples titubat, utq; est flaccidus
Olim spiritus haud timens deorum.
Sis præsens diua, & manibus inuictis leua
Deiectos animos, coerce & ignem.
Te semper nostris faciam in aris maximam,
Dignaborq; deis, deumq; bonore.
Et tu cœlo progenita, proles lucidi
Solis, quam rapuit manu insolenti
Alcidæ laus, accola rigentis Caucasi,
Quando es tu dea, te deam uerebor.

Ad Venerem.

Venus dea Gnidi,
Quam nobilis Cyprus colit,
Quam circum uolitant molliculi ioci,
Et lusus, & amor, improbi cupidines.
Te amat tellus parens,
Tu germinum uita, & tu amor.
Te propter coeunt frondicomæ arbores.
Marita prunus aurea parit persica.
Te auent sata pinguia,
Vbi imbribus lætis madens
Effundis grauidas fœtibus e tuo
Scintillulasq; gratiasq; aureo sinu.
Viret gramine Helicon
Potenti, Olympusq; arduus,
Chiron Phyllirides unde & opem legit,
Succisq; Circe imagines animat truces.
Rubentq; in hortulis
Rosæ tuo ortæ ex uulnere.
Halant ambrosias aurea citria,
Reddentia inclytum specie Adonin tuum.
Deam te & auium, &
Serpentium, & pecudum genus
Sentit, quodq; in aquis nat liquido pede.
Tui neq; expers abditur Erebi deus
Profundæ noctis ora.
Arsit facibus olim tuis

Aetnam quum aggreditur tartareis equis,
Quatitq; terras motu, & orbem nubilat.
Liquidaq; marmora,
Aquis licet frigentibus,
Flammas sæpe tulere. Oceanus pater
Amauit ultimis sub undis perdite.
Et ipsi cœlites
Sensere uires intimis
Tuas sæpe medullis. quoties Iouem
Videre falsa sub figura adulterum
Puellæ attonitæ, amor
Succensus ubi recluditur?
Quin te, quæ tacitis ignibus imperas,
Tu te ipsa sæpe ussisti iniquis torribus,
Gradiui nec dum amor
Excussus alto pectore.
Sic te Bellipotens semper amet deus,
Nec furta dulcia hauriat sol lumine,
Viri una & fœminæ
Precantur, arcto balteo,
Componasq; iugo irresolubili,
Et prole fac ditentur usq; nobili.
Tibi en aræ nitent
Et flore, myrto & plurima,
Incenditq; puer thura, bona accinens
Verba, occinunt uoce & puellæ tinnula.
Ades Ericina ades

Pulchro refulgens sydere,
Vt spectare soles delicias tuas,
Tuos amores, Idaq; ut uidit stupens.

Ad Barthomeum Liuianum.

Macte heros corde inuicto, & uirtute recenti,
Quem nil proterua fors mouet,
Liuiade, aude iterũ, atq; animos iterum auspicibus dijs
Exuscita. hostium en pauor
Agmina habet, gelidoq; uides ut frigore pallent,
Tremunt ut artus. Iupiter,
Vnum te armati formidant, te uel inermem.
Quæ terra, qui abdent inuij
Saltus, qui trepidantem nubiferi Apennini
Sistent fugam, aut qui Caucasi
Rupibus horrentes, ac perpetua niue cani?
Tu robore inuicti Herculis
Omnia peruinces, nec Lerna morabitur hydræ
Ceruice centena, nec in
Valle furens uasta Nemeæ fera, nec timor ingens
Lycæi aper, uires neq;
Multiplices natorum atra tellure gigantum.
Videbit iterum æthram canis
Fulgentem, uisuq; horrebit ianitor Orci.
Columnæ in orbis finibus
Aeternum extremis, tua & inclyta fama manebunt.
Contingat o tunc mihi, boni
Dij superi, ut uescar cœli uitalibus auris,

Smyrnæa ego acinam lyra,
Qua quondam licuit soli cantasse **Maroni,**
Totusq; te orbis audiet.

Deploratio ualitudinis.

Quo mei aureoli capilli abistis?
Quo mei ah facinus capilli abistis?
Quos tantum mea amabat Intimilla,
Quos illa in tepido sinu fouebat,
Aut pectens uario plicabat orbe
Ipsa eburnea, pectine æque eburneo.
Nunc mei aureoli capilli abistis,
Et uos heu mea luget Intimilla.
Quo frons splendidula, & quo ocelli abistis?
Latonæ duo ut astra prænitentes.
Vos o uos mea suxerat Nealce,
Et tantum mea suxerat Nealce,
Lasciuam saperetis ut Nealcen.
Sed o quo niuei, quo eburnei ore
Sedentes rutilo, ut monile septum
Bacis Oceani rubri, indiciq;,
Quo dentes abystis? & quo amœnum os?
Ab illa illa, mea, illa quæ tenet me,
Aeternumq; tenebit, illa Doris,
Vobis, non sine Cypridos liquore
Inhærens, animam intima ex medulla
Hauribat. mi utinam obtigisset illa
Inter suauia obire. quod sepulchrum

Cupitum ſibi ſpiritus paraſſet.
Et quo argentea colla, quo manus, quæ
Rhipheam toties niuem nigraſtis
Albore exuperante, liliumq;?
Tum uos lambere, lingere, oſculari,
Atq; in delicijs habere Phyllis
Nullo fine modoq; deſinebat.
At nunc lurida, pars ſitu, macore
Vt ſqualent alia. ah maligna febris
Quæ tot mi ueneres mala abſtuliſti,
Quæ cogis gemere & meos amores.

Ad Auguſtinum Gniphum.

Heus tu qui retegis ſinus retortos,
Mæandros, labyrinthios aceruos
Chryſippi, ſapis atticos & hortos,
Et nil non bone polliceris, aſtra
Dum cenſes radio, futura uoluens,
An putas, quoniam catus uideris,
Res ut cum pueris tibi ſit? heus tu
Noſti non bene percitos poetas.
Huc ſi non liber ilico aduolarit,
Quum te illum toties reflagitarim,
Quis ſcit, ſi audieris truces ïambos
Armari, & rabie tonare diras?
Faxo, te laqueus citet Lycambæ,
Et nouus tibi Bupalus reſurgat,
Pœnam aut perpetuum ſilere dicam.

Tunc te nec ſophia adiuuabit ulla

Ad Fanniolam.

Meæ deliciæ, meiq; ocelli,
Meum uerculum, amœnitaſq;, & aura,
Meum melculum, itemq; lotos, & ros,
Mea medullula, corculum, & uoluptas,
Vna Fanniola, geniuſq;, amorq;,
Me amplectere, mi ſuauium da
Mellitum, ſapidumq;, ſalſulumq;,
Atq; unum, omnibus & catullianis
Pretioſum mage millibus trecentis.
Oro, mi exere ueſculas papillas,
Mamillas, nitidiſsimumq; pectus.
Oro, me ſine, teq; palpitare,
Teq; ſorbere, & ingulare totam.
Et ſi te dabis hoc modo, licebit,
Vobis regna alij, atq; opes habetote,
Et mi Fanniolam relinquitote.

Ad Quernum.

Querne, ſi mala ſyderaſſet aſpis
Linguam, tam poteras diu tacere?
Querne oblite ſodalium bonorum,
Cui tantum placet inter eſſe reges,
Nauci habens inopes, bonoſq; amicos.
Sed uertat bene, nanq; nauſeantes
Iſtos, qui faciunt pili ſodales,
Vidimus pariles luiſſe pœnas.

Querne tu caue, ne dum iniqua Olympi
Tendis scandere, & occupare summa,
Ima præcipiti premas ruina.

De somnio horrendo.

Heu cur tartareis picea me nocte figuris,
Cur Somne territas pater?
Si nunquam ore, aut re, tua sacra silenda piaui,
Aut uulgi feci, ut assolent,
Si qui contemptores sunt hominumq; deûmq;,
Ni est his melius a dijs statum.
Vidi, horretq; animus meminisse, horrentia uidi
Pro uisa. Cum puella eram,
Quæ mihi uel proprijs oculis est carior, una &
Inter dapes lautas, & in-
Ter dulces lusus, & suauia dulcia, Marti
Qualia suo dabat Venus,
Discumbebamus, quum mors in limine primo
Stetit domus, situ horrida,
Et tabo, & macie, lætaliq; horrida falce.
Hæc optime oculis, omnibus
Circum exploratis, arcumq; humero, atq; sagittas,
Falcemq; posuit, & manu,
Horrendum dictu, centum conuoluerat angues.
Hos admouens ori, & fame,
Et rabie antiqua, sanioso dente uorabat.
Hic risus excidit leuis,
Blanditiæq;, epulæq; manu cecidere trementi.

Vix uiuus hinc ſomno excitor
Lætitia exultans, in uentum ea dira abijſſe.
At triſtior meam tamen
Ex oculis ſubito ſic delicuiſſe puellam,
Qui cum me æquipero deis.

In Anum deridentem.

Quid rides ſenium, ſtrigumq; mater,
Arcas, theſſala, dira faſcinatrix,
Oſſa lurida nigricantis Orci?
Rideſq; & putridam ſcreas ſaliuam,
Et halas animam grauis mephitis.
Ride, & ilia finde defututa.
Quin triſtis Erebi ſiniſtra bubo,
Aiacis uolo rideas cachinnum,
Sardoum uolo rideas liquorem.

Ad Petrum Summontium.

Summonti, hendecaſyllabi iocantur,
Acerbum licet, atq; atrox minentur.
Leſbous quoq; pes ſolet iocari.
Vis eſt cuiq; ſua inſita addecenſq;.
Deplorant elegi improbos amores.
Heroo pede perfurit Gradiuus.
Socci ſunt humiles, graues cothurni.
Sequuntur laquei truces iambos.
His ego haud feriam meos amicos.
Quare deſine conqueri Petroni,
Si tecum lyricis fui iocatus.

In morte Cytheridis.

Molles deliciæ, leuesq; risus,
Et uos o ueneres cupidinesq;,
Et quantum est salis & lepôris usquam,
Valete, atq; alio hinc proculq; abite.
Mi quondam placuistis, ipsa quondam
Spirabat facilis uenusq;, amorq;.
At nunc inuida parca, sæua parca,
Indignum facinus, meos amores,
Meas delicias, meamq; uitam
Orco tradidit impio uorandam.
O factum male, heu misella uirgo,
Quæ me plus oculis tuis amabas,
Quæ me tristiculum usq; suauiando
Molestis poteras leuare curis,
Orci nunc raperis manu rapaci,
O factum male, o maligna parca.
Quare hinc blanditiæ ite, & hinc lepores.
Huc suspiria, lachrymæ, dolores
Adeste, & furiæ altius furentes,
Meam urgete animam ire sub tenebras,
Inuisat propere ut suos amores,
Suas delicias, suam Cytherin.

In puellam seueram.

Petra tristior attica, atq; Auerno,
Quid puella malum usq; me fatigas?
Esse uis simul & Diana, & ipsa

Deos quæ face uerberat Dione.
Non est id pote, sis pudica, sisq;
Eadem mollior omnibus cinædis.
Edico tibi, cusa lex in æs est,
Aut huc ne referas pedem puella,
Aut hinc, si referes, fututa abibis.

In monachum nequam.

Amabo bone uir, tuo hoc cucullo, &
Tua ista fatua loquacitate,
Inter socraticos putasne haberi?
Id id scilicet ore polliceris
Isto musta acina ebriosiore.
Non te non pudet, explicare regis
Regum mystica temulente Iacche?
At facis secus improbe, atq; faris.
At R cum reicit disertus iste,
Non graui sine teste prædicator,
Hortis præficere hunc deum potestis
Furum pro aucupio cinædulorum,
Quicunq; estis amore delicato.
O ciues mediam huic secate uenam,
In testes samiam expedite testam,
Vt capus Berecynthiam sequatur.

In Lycum monachum.

Quis locus est reliquus? te eiecit regia cœli,
Nec recipit tellus, Oceanusue pater,
Coniurant manes, toto ut pellaris ab orco.

Inuiſo rebus te, Lyce quid facies?

Ad Cencium.

Porro quæ tua mens, amice Cenci?
Pergis ludere ſic tuum ſodalem,
Anno cui facias opus diei?
An cunctando aliquid parare maius
Tentas? non pariunt repente Barrhi.
Tu forſan mihi ſyngrapham morando
Compones ita, ut inde fata diuum
Decem ſufficiant uiri probati.
Cenci ſi ſapis, aufuge experiri
Qua ſint cuſpide iambi Anyſtani.

Ad Intimillam.

Sic me flammeola uris Intimilla,
Sic me perfidula Intimilla aduris?
Phœbe interſtitium integrum peregit,
Quum tu ſecubitu moleſto, & atro
Mori me patere improba Intimilla.
Vouiſti fatua an ne caſtitatem?
Sacra niliacæ an deæ paratis,
Aut magnæ Cereri bonæ puellæ?
Quæcunq; eſt, tamen impia, & maligna eſt
Cauſa. ah ſæuior unda, & Euro, & Orco,
Quicunq; iſtas ſegregationes,
Iſtos ſecubituſq; deſecrandos
Repperit leuium puellularum.
En uer pampinulis tumet nouellis,

Ridetq; omnis ager nouello amore.
Et nobis itidem calescit intus
Sanguis, feruidulum ciens amorem,
Et bilis ioue tunditur sereno.
At tu perfidula Intimilla, tristi
Tuo secubitu, & nimis molesto
Mi torques animam, necasq; amantem.

Ad Terinam.

Me magni superi oderint Terina,
Ni te plus oculis meis amo, & ni
Tuam opto mage, quam meam salutem.
Nam quid sim sine te? sed inspuamus
Ter nobis, moneo, sinus. egone
Te uiuam sine? si uelit, nec ipsa
Me seruet sine te, salus, Terina.
Tu numen mihi, uitaq;, & salus es.
Quod uiuo, tibi uiuo, itemq; perdar.
At me cura habet illa, & usq; habebit,
Ne me ames minus, aut amor tepescat.
Id si fata ferant maligni amoris,
Vitam, dij melius, libens recuso.
At si te unanimem dabis Terina
Mi semper, facilemq;, cæreamq;,
Opes mygdoniæ ualete, itemq;
Valete imperia, ac ualete honores,
Et Batti ueteris ualete syluæ.
Hæc ego omnia pensito minoris,

Quam unum basiolum meæ Terinæ.

De Doride.

Quid syluas petitis, sacrasq; ualles,
Quid rupes pedibus laboriosas
Inepti pueri, & leues puellæ?
Flores iam scio quæritis nouellos,
Vt his splendidulum caput, simulq;
Ornetis speciosulas mamillas.
Ver est, non nego, floribusq; uernat
Tellus, & uario colore ridet.
Sed solis sine maximo periclo,
Non licet latebras ferarum adire.
Sunt hic sæpe lupi, & truces leones,
Sub flore ac mala delitescit aspis,
Stantq; in insidias dei salaces,
Fauni capripedes bonis puellis.
Quare cautius obsecro uidete,
Ne dum nitimini esse pulchriores,
Dum syluis rapitis suos honores,
Vobis flos pariter male inuoletur.
Sed quæ hæc stultitia est puellæ? habetis
Diuinæ prope Doridos *uiretum,*
Nempe os Doridos *est uiretum amœnum.*
Hinc, si uos uiolas auetis, illas
Genæ Doridos *explicant beatæ.*
Vultis puniceas rosas, legetis
E nymphæ roseis labris abunde.

E collo niueo, manuq; eburnea
Alba excerpite lilia, & ligustra.
Sed quid singula persequi laboro,
Quantum est floridi in omnibus uiretis,
Vna in Doride uos puellæ habetis.

Ad Innocentium Mancinum.

Iuuisti studio Innocenti amicum
Per Iouem officioso & auspicato,
O lux candida Anysio atq; læta,
Pompeij micuere cum clienti
Læta e fronte oculi benigniores.
Sic illi niteant dies sereni,
Sintq; tristitiæ & procul dolores,
Dum longo spatio fruetur æui.
Et quum sydeream aduolarit arcem,
Illius tumulo tepescat aer
Vere perpetuo, rosæq; blandæ
Nascantur, uiolæq; & herbæ odoræ.
At tibi ueneres cupidinesq;
Semper sint faciles, tuumq; semper
Amplexum cupiant leues puellæ,
Et te Pierides sinu beato
Parnasi foueant iugisq; Pindi.

De Montella.

Montella, & gelidi ualete fontes,
Et syluæ, & nemora alta castanetis.
Tunc me frigoribus tuis tenebas

Montella alpigenum e choro sororum
Vna nobiliorq; lætiorq;,
Quum canis rapido æstuabat ore.
Doris hic uitrea nitescit unda,
Doris quæ toties me amœna in antra
Vocauit sitientem & æstuantem,
Illectans placido suo susurro,
Scænaq; fruticum fouens uirenti,
Atq; humo uario colore picta.
Et hic tu Politina, quæ sapore
Tanto lenior es suauiorq;,
Quanto frigidior liquore Doris.
Amplexu tenero coitis, ambæ
Nymphæ naiadum leposq; honorq;.
O quantum satyri inuident calori,
Qui uos feruidulo sinu receptat.
O felix calor, amnis o beate.
Ceruauri at soboles Nucetis, ah quo
Crinitum Caloenta amore torquet,
Virgo difficilis nimisq; dura.
Parce nympha tuo misello amanti.
Sic te Balneoli, aurei recessus
Ament, Balneoli domus deorum,
Traianiq; mei inclyti, omne in æuum.
Sed nunc quum rapidæ procellæ ab altis
Calunt montibus, imbribusq; cœlum
Totum inuoluitur, impotente & Austro,

Austro pernicie serenitatis,
Migrandum est alio, uocatq; amœna
Iam me Parthenope, & mea Intimilla.
Hic non turbinibus furens Orion
Sæuit, non glacies rigent niuales,
Sed hic temperies benigna cœli.
Scatet blandityfq;, amoribusq;.
Quare uos gelidæ ualete syluæ,
Montella, & gelidi ualete fontes.

Ad Alexandrum Argulum.

Rogas Argule cur meæ camœnæ
Colludant pede delicatiore,
E norma atq; ita rhythmica recedant.
Causam dicere sum quidem paratus,
Si tu iusseris, inter ambulandum.
Nunc illud poterit tibi sat esse,
Quod sic Virgilium ac bonum Catullum,
Et plerosq; alios uides loquutum,
Vt græcos taceam licentiores.
Sed est altera, iustiorq; causa,
Quum tot me iugulentq; differantq;
Curæ, nequitia proterui amoris.
Hinc urit face Phyllis, Intimilia
Illinc mi glaciem iacitq; & ignem,
Nealce premit, enecat Terina.
Quid mirum est igitur poetæ amantis
Cui cæcus misere imperat Cupido,

Ipsos tam male claudicare uersus?

Ad Lucretium Hesiandrum.

Istis inuideo, ac puto beatos,
Et pares superis deis Lucreti,
Qui tantum stomacho ualent, ut ista
Cernant tempora, nec ferant moleste.
Quid tostam est Libyam Indiamue quæri?
Quod aiunt ibi struthio camelos
Ferrum concoquere, & uorare ferrum.
Hoc est concoquere & uorare ferrum.

Ad Augustinum Gniphum.

Tecum benigne a dijs agitur Gniphe,
Dulcis recessus quum patriæ colas,
Quo nondum scabies perditæ urbis
Prorepsit uitiorum atrox.
Istic serenus mente per ardua
Rerum uagaris, pulchraq; semina
Vestigas generosæ parentis,
Docto mox calamo explicans.
Felix Suessa est auspicio tuo
Certare Athenis audeat, & Samo,
Et Tarso, & Agraganti, & Stagiræ,
Centeno celebris libro.
At tristis erumna, aut dea peruicax
Si sæuiat fors, tu stabili pede
Obsistis iacula aduersus, acri
Vincens ui, & uolucri face

Ardentis animi. uel ruat impetu
Mundus reuulsis cardinibus suis,
Nil urget metus. at quæris ultro
Causas terribilis mali,
Vastos Cyclopas, ac piceos globos
Aetnæ, aut Vesuui saxa minantia,
Intentus sophiæ præpotenti,
Pro qua uel leue sit mori.

Ad Iulium Columnam.

A te reddita epistola est diserta,
Sed non caseoli, beate Iuli,
Quos scribis mihi mittere e Sabinis.
Illos, ut puto, pessimæ inuolarunt
Laruæ, quis gula cuncta deuorare est.
Sed laruis male sit, uoracitatum,
Atq; omnis sceleris malis ministris.
Tu uiue, & uale, ac satis putato
Nobis mittere casci elegantis,
Quum pro caseolis dabis papyrum.

Ad Mariam uirginem.

Mariæ sumus in fide
Puellæ & pueri integri,
Mariæ pueri integri,
Puellæq; canamus.
O uirgo, o dea, maximi
Magna progenies Iouis,
Quam mater prope Balsama e-

Nixa est Hierico, ut
Omnium domina & salus
Aeterno imperio fores.
Tu sydus nitidum maris,
Saltuumq; nigrantum.
Tu lucina puerperas
Orci e limine præripis,
Explens lætitia, edito
Partu in luminis oras.
Tu morbos dea pallidos,
Languentumq; animantium,
Camporumq; uirentium,
Fugas uirgineo ore.
Sis quocunq; tibi placet
Sancta nomine, ut assoles
Bonæ Parthenopes bona
Sospites ope gentem.

Ad Intimillam.

Mille me face suauiationum,
Mille me face lingulationum,
Mille me quoq; morsicationum
Satullum, mea dulcis Intimilla,
Prius quam ueniamus ad cupitam
Palæstram Veneris mea Intimilla.
Nam nimis fuerit libidinosum,
Inepte fuerit libidinosum,
Si iocis Venerem suis iocosis,

Suis blanditijs, suisq; ludis
Defraudarimus o mea Intimilla.

De amore.

Alges? frigoribus medetur ignis.
Aestuas? Zephyrus fugabit æstum.
Es lassus? placidam petas quietem.
Dormitas? melicus ciet soporem.
Esuris? epulæ famen leuabunt.
Sitis? i uitrei ad liquoris undam.
Amas? pro superi, sitim unam amoris
Non ullo in gelido amne desitire est.

Ad Bassum.

Hoc me sæpicule uocas apud te ad
Cœnam scilicet infacete Basse,
Vt longa esuriam esuritione,
Vt longa sitiam sititione?

De Horatio amisso.

Quis meum mihi Horatium abstulit? quis
Ille tam ferus, atq; corde sæuo
Fuit? pro hominum fidem & deorum,
Tam fidum comitem mihi abstulistis?
Siue ad æthiopas, trucesue mauros,
Aut indos penetrare mens fuisset,
Siue ad cimmerios scythasue duros.
Tum præter quod erat disertus, ut qui
Mellito charites haberet ore,
Forma erat, facieq; tam uenusta

Vt in delicijs quoq; illum haberem.
At nunc, hei misero, mihi abstulistis
Tam bellum comitem manus rapaces.
O mi reddite Horatium *maligni*
Fures, reddite mi meum libellum.
Quem si reddideritis, este fures
Et salsi & lepidi & boni & benigni.
Sin minus, uolo sentiatis usq;
Ante ora horribilem minari Erinnyn.
Fures reddite Horatium *scelesti.*

Ad *Sempronium.*

Res adeo mira est, quum habeas tecum tot odores
Semproni, grauius nescio quid subolet.
Sed puto pro nardo tetrum hirculum ab unguentario
Emisti improbulo, qui caprum oles olidum.

De *Phyllide.*

Noster amor Phyllis cunctis formosa puellis
Antistat, quot sunt, quotq; fuere, & erunt.
Sed uario ingenio est semper. simul odit, amatq;,
Et blanda & saeua est, annuit & renuit.
Dij superi tanto dulcis miscuistis amari
Tantum, oculisq; illis illa supercilia.
Quum placida est mea Phyllis, leni est lenior aura.
Quum irata, est saeuo saeuior Oceano.
Haec amat, omnia sunt laeta, omnia cogit amare.
Haec odit, mundi est cernere tristitiem.
O quantum est hominum miserorũ. quid fuit unquam

Aut erit, aut nūc est tam miserum, quam ego sum.
Tantos per fluctus feror in mare magnum, ubi terra
Nulla oculis, nullo sydere iter teneo.
Credere me uentis cogor. uestigia retro
Flectere quis potis est, quem stimulo urget amor?

In regem auarum.

Cur agros mala siccitas perurat,
Ceres qua esurit & sitit Lyæus,
Quis mirabitur? imperante nobis
Sicca pumice siccìore rege.

De Domicilla amissa.

Ergo decidimus prorsus de spe? o mihi uitam
Viuendam misere tristibus in lachrymis.
Ergo omnis mihi deperyt spes? quid moror ultra
Aegram districto perdere ferro animam?
Vsq; huc si potui caro sine uiuere agello,
Quem domicilla colit uitaq; corq; meum.
Hoc potui certe, quoniam me dulcis alebat
Illa, spes aliquo tempore posse frui.
Nunc spes quādo abiyt, nec mi mea reddita nympha est,
Vna erit in tantis mors medicina malis.
Tentaui, fateor, nostro si pectore possem
Vellere, quæ sæuus spicula torsit amor.
Tentaui frustra, nam quo magis obstiti amori,
Hoc magis interno pectore inhæsit amor.
Perfidus ille tamen, qui nostri est causa doloris,
Det pœnas tanto pro scelere, ut pereat.

At non morte leui pereat, sed crimine tanto
Digna. audite hæc dij, si impia facta mouent.
Tuq; mea o Domicilla, Orco quum traditum amãtem
Videris, ah tecum quam timeo impie agas.
Parce precor pulchrisq; genis, pulchrisq; capillis,
Sat fuerit paucas fundere mi lachrymas.
Nam decorant lachrymæ formosam, teq; ego ab ipso
Usq; Erebo cernam, flereq; dulce tuum.
Illud te cupiam nimium nimiumq; rogatam,
Vt sanctam serues integro amore fidem.
Scis, quæ pollicita es tactis altaribus olim.
Dij faciant firma hæc, perpetuumq; rata.
Et si seruitium pateris, durumq; tyrannum,
Hæc uiolenta negant dij diuturna fore.
Mox ubi libertas tibi fulserit aurea, tunc mi
Te totam redde, & mi face delicias.
Per noctes tecum obuersabor mitis imago,
Oscula qui possim iungere, perq; dies.
Nunquam me Elysij retinebunt hortuli amentem.
Te sine tristia erunt flumina dulcis aquæ,
Te sine tristia erunt ridentia floribus arua.
At tecum uel simi sub styge, lætus ero.

Ad Geuaram.

Tam mirum potuitne tibi Geuara uideri,
Nostro Ianutio si sine uox anima est?
Ah miser ille, suam quum Paulam perdite amaret,
Paulæ subfudit dimidium ex anima.

Nunc Paula amissa, & tabe & macie confecto
Totum abit in semen quod reliquum est animæ.

Ad *Marium Biscantium.*

Sicine amas Mari? *amor sic te opprimit, & necat ictus?*
Parcius ah Mari *ama. uis* Mari *amore mori?*
Ah Mari, *amore mori miserũ est & turpe, quid ergo?*
Si miserum & turpe est, uis mori amore Mari?

De sturno mortuo, & puella amissa.

Sturnus erat domino dilectus maxime amanti,
Quippe hominum uoces reddere doctus erat.
Hic dominam suaui cantu persæpe uocabat,
Iunia quid lenta es, Iunia bella ueni.
Iunia erat, miserum quæ torquet amore Perillum,
Iunia formosas inter habenda deas.
Ah facinus, fatisne an diuum numine iniquo?
Tantas delicias abstulit una dies.
Connubio iuncta est riuali Iunia, *sedes*
Sturnus adit stygias, unus & alter amor.
Heu puer infelix, tibi tanti æterna Perille
Morte ille, hæc uita, causa doloris erit.

De *Parthenope.*

Quis nam est, Parthenopen *qui mollitie arguat, & qui*
Dicat ibi fluxis moribus esse uiros?
Quicunq; es, longe ab recta erras, nam generosa
Mater Parthenope *masculam habet sobolem.*
Vtq; uiros taceam, quorum est notißima uirtus,
Vnum fœmineum conspice fortem habitum.

Cernin ut ex humeris pendent uillosa ferarum
Tergora, quis neget hoc Herculis esse genus?

Ad Luciolen.

Es mea Luciole nitidis fulgentior astris,
Es matutina luce serena magis.
Es niue candidior, tyrioq; rubentior ostro,
Es matutino tempore læta magis.
Te rosa non superat, fundis si ex ore ruborem.
Si palles, pulchra pulchrior es uiola.
Ergo Luciole, nobis noua dum uiret ætas,
Carpamus flores quos noua prata ferunt.

Ad Venerem.

In me Luciole mitis si uertat ocellos,
Desinat atq; truci lædere sæuitia,
Te Venus ex uario donabo flore corolla,
Quæq; tuum deceat Cypria pulchra caput.
Si mi basiolo dederit mellita labella
Luciole, unde deum nascitur ambrosia,
En Cytherea, mihi quæ oculis est carior ipsis,
Cum pharia myrto testa parata tibi est.
At si Erycina dares, ut pleno ore oscula ferrem,
Lucioleq; sinus mi daret arbitrium,
Tunc ego par superis, tua floribus omnia templa
Conspergens supplex menstrua thura darem.

De Perna & Catosso.

Perna Catosso animam suxit, dum suauia amantes
Inter se miscent improbula improbuli.

Ille suam exanimis repetit, dare Perna negauit,
Sed dedit illa suam candida Perna animam.
Sic uiuunt alterna anima irresolubili amore,
Mors itaq; alterius perdet utrunq; simul.

Ad Melpomenen.

Rursus Melpomene iubes
Longo fœda situ plectra resumere?
Quondam mi placuit lyra,
Et quondam facilis musa animo fuit.
Nunc pulchram Domicillam *amans*
Quando tam misere perdidi, amabiles
Odi blanditias miser.
Quare est dissidium cum fidibus mihi.
Dextra est plangere doctior
Pectus solicitum, tristitiæ secum.
Vox singultibus aptior,
Quos inter lachrymas excutit ignea
Intus uis animæ grauis.
Quanuis dispudeat uel meminisse, ut his
Robustus fuerim minus
Aduersis, fateor ingenue, parum
Firmum me esse in amoribus.
Sed quum fors alijs me tetigit malis,
Excelso illa animo tuli.
Sed quis tam ferus & corde adamantino est?
Cui non quum uolet imperet
Trux ille, imperiosus, puer, impotens,

Qui & magnos superos premit,
Nec matri potuit parcere, nec sibi.
Tuq; o Melpomene, tuis
Iuuisti facilis nequitiam meam
Blandis carminibus dea.
Quem fors constituit perdere, ut omnia
Concordant misero ad necem.
Parebo tamen huic imperio tuo,
Nam patrona mihi & dea es,
Donec sub steterit spiritus artubus.

LIBER TERTIVS.

De Doride.

Iunonis magnæ celebris lux fulserat, omnis
Vrbs coit ad templum uisere sacra deæ.
Matronæ, tardiq; senes sancta omnia lambunt,
Supplicibus uotis solicitantq; deos,
Diuitiæ ut crescant, largos ut terra ministret
Fructus, ut detur uiuere posse diu.
Dissimili at studio leues mollesq; puellæ
Linquunt inuisæ limina dura domus.
Non has relligio inuitat, nec templa frequentant
Scilicet, ut magno fœnore res superet,
Sed Venerem precibus, tacito quam pectore seruant,
Solicitis urgent ut sit amor facilis.
At prius ad templum ueniat quam pulchra puella,

Nititur e pulchra pulchrior effici er.
A rte genas, atq; arte oculos, atq; arte capillos
Exornat, diuam ut cultior ipsa colat.
A t mage ut ardentes iuuenes ardentius urat,
Atq; ut amatori dulcia amara ferat.
H ic equidem innumeras uidi, bone Iupiter, ut me
Tunc stupor e uiuo reddidit exanimum,
I nsigni forma egregias, ut quæq; tonantis
Dignior in terris esset habenda toro.
H æc alias inter frontis præstabat honore,
Batarum ut præ alijs fulget amæna dies.
I lla oculis reddens radiantia lumina solis,
Caligare aciem compulit usq; hominum.
A st alia excultum lætis uiolisq;, rosisq;,
Hortum, præ nitidis fert speciosa genis.
P oma genis posits cana, ac lita murice uiuo
Apposite, & flores carpere sydereos.
E st quæ lasciuis tyrrhena corallia labris
V incat, & exclusas mane oriente rosas,
E t quæ habeat uel ebur nitidis pro dentibus indum,
V el margaritas æquoris arrabici.
V idi quæ mammas & candida pectora haberent
Ante albas uiolas, lilia, & ante niues.
H ic ego crediderim charites habitare, & amores,
Hinc pueri Veneris spicula pertimui.
Q uare oculos subduxi amens, alioq; reflexi.
Dum fugio has, alias incido in insidias.

Ridentem miser aspicio roseo ore puellam.
Ridebat credo nympha timore meo.
Ridebat, blandumq; simul ridebat Olympus,
Et sol auratis crinibus emicuit.
Obstupui, ac magni testor sanctissima mundi
Templa, meam subito diriguisse animam.
Moxq; mei compos totum me tradidi amatæ
Doridos ad uultus, lampada prærutilam.
Dij magni, aduentu solis præclara nitorem
Amisere suum sydera conspicuum.
Vna est supra omnes mea formosissima Doris,
Vna ipsi Veneri surripuit Venerem.

Ad Luciolen.

Sicine me miserum potuisti fallere amantem
Vanis promissis perfida Luciole?
Hæc est quæ meritis debetur gratia nostris?
Hæc sunt seruitij præmia digna mei?
Septem ego te menses infelix perdite amaui,
Septem ego quin totidem mensibus interij.
Tu dura, ut scopulus, celso qui uertice fluctus
Despicit ægeos, despicit ionios.
Dura meos miseri nunquam miserata labores,
Dura meis nunquam uisa dolere malis.
Durior & scopulis, & surdior æquoris undis,
Et magni monstris sæuior Oceani.
Quos ego non flessem scopulos, quas æquoris iras,
Et quæ non lachrymis horrida monstra maris?

Quæ sæuam genuere feræ, quæue ubera tigres
 Admorunt rabidæ rupibus in scythicis?
Quid non tentaui, ut durißima mollireris?
 Nil ars, nil sagæ profuit ingenium.
O quot me insomnes memini producere noctes,
 Inq; sepulchretis solicitare animas.
Quum medij nox atra caput peruincere metam
 Molitur cœli, lucidaq; astra micant,
Quumq; nouos Phœbe germani concipit ignes,
 Me medio e somno sedula turbat anus.
Et mihi dat gladium, & plenam dat thuris acerram,
 Multaq; marruuijs gramina lecta iugis.
Inde caput canum crocea circundata mitra,
 Et stola amicta, graues edidit ore sonos.
Dum scrobe suffosso læua, nigra pocula uersat,
 Funestôq; tegit crine cupresse tuo.
Mox gladio arrepto, quem ter circuntulit, orbes
 Miris nescio quis clausit imaginibus.
Meq; locans medium, curam demandant acerræ,
 Solicitúmq; animo tum iubet esse bono.
Illa canens, Hecate o Hecate regina profundi
 Adsis, in rauco murmure subticuit.
Vidisses toto nubes concurrere cœlo,
 Et tonitru læuum concrepuisse polum.
Sed quid plura loquor? mihi uisa dehiscere tellus,
 Eq; imis Erebum fundere uisceribus.
Nil oculis poteram ob cæcas haurire tenebras,

Et quoniam glacies frigida pectus erat.
Verum inter strepitus, & tetros inter odores
Horrida uox gelidis auribus intonuit.
Luciole sit dura licet, frangetur & ipsa
Tempore, tu cœpto persta in amore puer.
Sic me tunc monuit pallentis nuntius Orci,
Sic mihi sæpe etiam præscia dixit anus.
Dum uirides urit lauros, crepitantia discens
Verba, nihil Phœbi fallere amica solet.
Sic etiam in pelui ostendit mihi concita lympha,
Sic etiam lychni flamma loquuta mihi.
Sic tortus rhombus, deductaq; carmine luna
Monstrarunt, uidit sic puer in speculo.
Sic mihi non dubio displosa papauera quondam
Atq; iterum atq; iterum præcinuere sono.
Summa sæpe manu digitis uibrantibus, alta
Exiguis acinis est camera icta mihi,
Illæsumq; ouum flamma lustralibus aris
Spe certa nostræ sæpe tulere manus.
Dum precor, optato carissimus omine amicus
Sternuto ad dextram clarius insonuit.
Ter feci Oceano, perfusaq; nectare Vesta,
Ter flamma est summum lambere uisa larem.
Spemq; bonam resono fecit mihi uortice torrens,
Fecit, dum in somno diua triformis adest.
Pertento numeros, felix babylonius ipse est
Puluis, felicem flatq; caminus opem,

Lætaq; diſpoſitæ uirgæ retulere ſalignæ,
Lætaq; de tiliæ fronde relata mihi.
In ſitulam quoties ſortes coniecimus, exit
Quod te Luciole diceret eſſe meam.
Arripio talos, & quum te uoce uocaui,
Terq; quaterq; mihi eſt aurea iacta Venus.
Librum ſeu reſero, diuinaq; carmina poſco,
Iam fore te noſtram carmina ſignificant.
Siue nouam cæram, plumbumq; liquauimus, illud
Redditur, ut de te mi omnia pollicear.
Conſulimus pecudum fibras, mihi læta ſacerdos
Nuntiat, & pullis offula rite editur.
Hæc eadem & cornix, ſæpe & prædixit hirundo,
Dum celebrat uirgo ſedula rite deos.
Interdum mea me ſecretas abdit in ædes,
Quum dijs ætherijs docta ſibylla facit,
Mox iubet a precibus poſtica exire, ſilebant
Omnia, prima tamen uerba tenere iubet.
Egredior, dextra coruus, cornixq; ſiniſtra
Conuolat, audita eſt uox ea prima mihi.
Tempus erit triſtes ponam quum pectore curas,
Tunc mihi ſemper erit deliciosus amor.
Sum ſexcenta alia expertus. non marſa, nec afra,
Non anus, & præter theſſala miſſa mihi.
Omnia promittunt diuina, humana ſalutem,
Hæc tamen haud ulla ſenſimus eſſe fide.
Quo me, quo uertam? quid ſperabo miſer ultra?

Quid faciam? o homines, o super, o pietas.
Septimus ecce redit pennis fugientibus annus,
Inq; tua heu perstas perfida perfidia.
Cur mihi pollicita es, quæ non dare perfida uelles?
Vt caperer laqueis, insidiosa, tuis?
Sic piscem curuo piscator decipit hamo,
Fistula sic blando carmine fallit aues.
Sera licet ueniat, manet aspera pœna nocentes,
Nec sero quicquam pœnituisse iuuat.
Aspice quæ immanis fert horrida membra Lycaon,
Et quæ Busirin pœna cruenta premit.
Vt latrat scopulis uirgo summersa marinis,
Vt uomit epotas dira charybdis aquas.
Sirenasq; tuas prudentia uicit Vlyssei,
Et nunc sæuitiæ sunt monumenta super.
Quum mihi tu siren, lepidumq; & dulce canebas,
Heu cur non surdis auribus ipse fui?

Ad Adoardum Oriam.

Dijs Oria æternis læti soluamus honores,
Munera larga fundere
Admonet hæc faustas inter numeranda, serena
Lætitiæ dies datrix.
Nobis hanc ueniam syluestria numina, & omnis
Candida amadrias, dabunt.
Ite citi pueri, & uos duro accingite ferro,
Quo cadat alta populus;
Et laurus Phœbo, & quercus dilecta tonanti.

Vos alij ite, cedite
Conspicuas myrtos, & fuluo flore genistas,
Vallibus ac suum eripite
Ornatum, uiolasq; nigellas, liliaq; alba.
Charmosynæq; uos rosæ
Carpent, & seruatis adhuc qui insignia formæ,
Tuq; Hiacynthe molliter
Ardens, tuq; Amaranthe perenni flore nitescens.
Sydereisq; crinibus
Et niueæ caltæ, & bielsomina legantur.
Pausilypi uirens latus,
Atq; dicarchæum littus lustrate propinquum.
Parthenope inde collibus
Frondicomis, campisq; nitentibus, hic ubi lene
Cornigerum mouens caput,
In mare compositis Sebethus uoluitur undis,
Omnia larga suggeret.
Tu mi Oria propius liceat quum mittere, Roma
Pro facinus deum parens
Iam sylua est, quondam sublimibus alta columnis,
Mitte igitur, Tybris pater
Et pia Roma dabit ramos & florida serta.
Omnia templa cultibus
Ornentur sacris, habeant sua munera diui,
Vota precesq; perstrepant,
Atq; Iouem ueneremur. Centum Iupiter aris
Quem Garamas niger colit,

Et quem chaonius, & quem capitolio in alto
Romuleus chorus uocat,
Sancte ueni pater immensi regnator olympi,
Quo duce & auspice, oscula
In miseræ patriæ atris fluctibus Augustino
Iam reduci licet dare,
Exoptata quidem & caris dulcissima amicis.
Eia alacres Ioui optimo
Maximo, honoratis post tempora cincta coronis,
Vina meraca, cretica,
Ingenti patera, rutilo libemus & auro.
Et Genio *merum uetus*
Spargamus, geminis inscriptis anguibus aræ,
De melioribus notis.
Quid statis pueri? date uina, date, addite græca,
Corsica, chia, lesbia.
Non Adoarde *tuis est cellis parcere, seruas*
Tu nisi forte theutonis,
Quos fama est latias gelidis ex Alpibus *oras*
Robore adire martio.

Ad Andream *Campaninum.*

Campanine, meus nosti quo sydere natus
Sit frater, sæpe ut se male, meq; habeat.
Vt solet ægrotat. causam quis forte requirat,
Nesciat, attamen hic usq; ueterno agitur.
Seu uere ægrotat, seu uult fortasse uideri,
Deprensum haud ulli est hactenus ex medicis.

Te iußi acciri, cui sunt notißima rerum
Semina, ut hoc ulcus quod latitat, retegas.

Ad Cottam.

En grauis Saturnus adest, Decembrem
Frigidum largis pateris leuemus.
Ponere & curas decet, & camœnis
Ludere lætis.
Inter & pronos cyathos, lepores
Fundere, & mistos salibus cachinnos.
I puer, ferto nigra faustiana,
Flamma ubi uiua est.
Parce sed somne grauis aduenire,
Dum canunt musæ, strepere & sodales
Parcite, intentam scelus est negari
Cantibus aurem.
Tu miser Cotta his procul, exul inter
Asperos saltus, latebras ferarum
Abderis, quin te rapis, aduocant quo
Dij meliores?

De inflammatione templi diuæ Claræ.

Quid diuum supreme paras pater? an sceleratum
Hominum genus mens est feroci perdere
Mulcibre? dum excelsi depascitur ardua templi
Atrox deus claudo pede, impius locis
Nec parcit sacris, sed cuncta uno ordine sumit.
Tot condita annis, & labore maximo,

Hora uorat breuis. horrendum ac miserabile uisu,
Ingens Roberti mole opus ruit sua.
Cur tu Clara inter Mariæ non ultima diuas
Non diua fers præsentem opibus opem tuis?
Nullane nympharum tangit te cura tuarum?
Cerne ut uagæ huc illuc feruntur oppido,
Lanigerum pecus ut sæuo turbante leone,
Duce lacerato. cerne, terror & metus
Vt mentem miseris lympharunt, & dolor ingens.
Quin nubiumq; & ætheris rogas herois?
Imbribus ut largis obiecta repagula soluant,
Et magna hera, ira incensum & ignibus, suum
Compescat natum blanda prece, Iupiter inter-
Minetur e cœli remensum uertice.

De Antiniano colle.

Felix ante alios qui uernant gramine, collis;
Quem tanto studio Parthenopea colit,
Parthenope ante deas tanto formosior omnes,
Quanto nobilior hic ager ante alios.
Haud procul a nostra locus urbe assurgit, amœnus
Lætitia cœli, lætitiaq; soli.
Non agrum hic homines exercent, nempe coloni
Sunt nymphæ, atq; deum candida simplicitas.
Huc iter a porta Regali nomine, nanq;
Regibus hæc priscis omina læta dedit.
Hinc itur læua, nec longus tractus eunti,
Naturæ blanda per loca facta manu.

Ventum ubi florentis culta ad ridentia collis,
Aspectu unde patent æquora lata maris,
Vere nouo ut se aperit nimbis cedentibus annus,
Sic se offert quam alibi mollius ipsa dies.
Huc me uis morbi tandem perduxit, amorem
Siqua mi detur posse leuare ferum.
Vix ubi nympharum rumor peruenit ad aures,
Vestibus ignotis applicuisse uirum,
Adueniunt, seseq; habitu, incessuq; fatentur
Esse deas. una hæc tum fuit orsa loqui.
Quisquis es hospes ait, nostrum qui tendis in agrum,
Siue errore uiæ, seu magis ex animo,
Ad nos diuerte hospitio, nam & si lare paruo,
At comi, & lætis accipiere modis.
Hic ego. non dubium, uos diuum e sanguine cretas,
Sic mihi forma facit, sic mihi uerba fidem.
Quid contra referam? tantum uenerabor, & aris
Imponam uestris thura adolenda focis.
Non errore uiæ his me deus appulit oris,
Sed uehemens amor, & fama loci celebris.
Alpheus Ianus mihi longo est tempore notus,
Alpheus, nymphæ cui socia Antiope.
I, pete nympharum dixit mihi, rura beata,
Si uis nosse tuæ gaudia Lucioles.
Herbarum hæ norunt succos, & carmine amare
Cogunt, nedum hominum frigida corda, feras.
Ab me dura urit flammis immitibus illa

Septem dura annos improba Luciole.
D *iuarum hoſpitium an contemnam? ſed mea cura*
Fert alio, ad Ianum dicite qua ſit iter.
H *ac iter ad Ianum reſpondet maxima natu,*
Illic Ianiculum, confugum eſt animi.
S *ed noſtris concede prius florentibus hortis,*
Et lege purpureis lilia miſta roſis.
S *unt & poma rubentia, ſunt & citria flaua,*
Quicquid & e ſyluis prouenit Alcinoi.
N *on operam puto perdemus, niſi fallimur hoſpes,*
Et tu etiam Phœbo carmina digna canis.
O *bſequor. ut longe non inde receſſimus, ecce*
Ex illo numero me capit una manu,
E *t, noſti Meliſeum, inquit, quem Phœbus amauit,*
Cui cara ante omnes Antiniana fuit?
A *ntiniana ego ſum, cœli conceſſit ad aſtra*
Ille ſua, & diuum colloquijs fruitur.
H *æc rura incoluit, hæc ſeuit citria, & illa*
Dum plantat laurum, carmina cuſit amans.
N *e mea, ne pereat moriens Ariadna, perenne*
Hoc ſacro laurus cortice nomen habe.
V *idi ego, uidere & multi, quum carmina falce*
Scripſit in hac lauro maximus ille ſenex.
E *t creuit laurus, creuere & carmina, & una*
Creuit amor, quo uel mortua corda calent.
P *lura eſſent ſpectanda, alio quæ in tempore ſeruo,*
Nanq; ſuam facilis poſcit Onyſa uicem.

Sic magna Antiniana. subit tum lenis Onysa,
Ad mea nunc hospes florida prata ueni.
Praecepit Meliseus, ut haec Summontius arua
Aere emeret grandi de Peridone sene.
Hunc quantum Meliseus amauit, sunt quoq; testes
Hae loti, haecq; pyrus insita falce senis.
Cede iam Onysa alijs, quaedam spectabilis ore
Infert, subtristi uersa supercilio.
Suspexere omnes, hospes, tum suscipit illa,
Te ne ultra remorer praetereunte die?
Iupiter haec nobis dedit arua nitentia. cernis
Illa arbusta, ut sunt septa ab utraq; uia.
Campaninus arat, genere atq; Machaonis arte
Insignis, tantum quem Piperitis amat.
Illic, cum facili Alphesiboea, armenta Lycotas
Dum pascunt, numeris haec canit, ille lyra.
Ambo felices sub pulchra Amaryllide, cantu
Inuitant uolucres, syluicolasq; feras.
Et nunc littoreis inuisunt rupibus antra,
Alliciuntq; antris caerula monstra maris.
Actius illa habet antra, et candida Mergilline,
Qua mare Pausilypus sole oriente uidet,
Actius Arcadiae uictor, quem Daphnis ad undas
Acidos, et Battus cum Corydone canit.
Ast alio e latere scopuloso in littore, latos
Aspicere est fundos flaua Sisymbri tuos.
Tymbride de nympha hanc genuit Pimnatius heros

Hic ubi Sebetho mista labulla fluit.
S captius a dextra, hinc Montanus, *& inde* Melissus.
En tibi nunc illud nobile Ianiculum.
R *ura mea hinc absunt, coluit quæ* Tityrus *olim,*
Et liquit moriens illa colenda mihi.
S *ed si regrediens ad me diuerteris hospes,*
Ostendam sacræ limina docta domus.
O *stendam calamos, cecinit quis* Tityrus, *antro*
Obseruant musæ nunc quoq; propter aquam.
I *nflarunt pauci, nam quis se compararet illi?*
Hos tu fors felix experiere canens.

In uitia urbis.

H *eus Iane postquam perfidam deam uides*
Fortunam acerbam prorsus, accipe integram
Mentem, eleuaq; istas opes umbratiles,
Et redde te tibi. atra sic uincitur illa.
S *ecede quocunq; libuerit hinc, horridos*
Siue ad Scythas, seu qua tepidus Auster *furit,*
Siue Indi ad hostia, Hercules *seu qua salo*
Terras reclusit, diuidens robore duro.
N *on ulla erit tellus adeo fero situ,*
Quæ non receptet pectoris firmi uirum.
Est patria orbis optimo, uti aiunt, uiro.
Aude, hinc & aufer te ocyus perdita ab urbe.
S *atius enim est, brutum ire corpus perditum,*
Ludibrio quod impotens habet dea,
Quam qui alta ab arce originem trahit, animum,

Quo nil in orbe maius aut pulchrius ortum est.
Valete mores pessimi, ualete uos
Licentiæ ultimæ profectæ al lineam
Vrbis misellæ, habete uobis omnia.
Ego hinc fuga extremæ rapior ad loca terræ.

In somnum de Luciole.

Victa uenenatis iaculis immitis amoris
Vix membra instrato decubere toro,
Quum deus insontem placidus miseratus amantem,
Totum lethæis me madefecit aquis.
Somne pater, Somne mitis, placidissime Somne,
Quis ego sum diuum uisus adesse choris?
Est locus a porta campana, qua itur Acerras,
Quem riui, agri, horti, tectaq; nobilitant.
Regum opus, & quo non ullum præclarius orbe
Sol uidet, hinc nullo tempore gramen abest,
Hic semper uiridesq; comas floresq; nitentis
Terra habet, & semper aurea mala nemus.
Hic ego ludentes per gramina læta puellas,
Hinnulei ut ludunt, cernere uisus eram.
Verum aliæ ad nitidum ludebant agmine riuum.
Partito, ut fulicæ perflat ubi Auster aquas.
Illa cauis manibus lympham capit, illa tenello
Ore, hostem celeri quam pede docta sequi.
Ast aliæ ramos scandebant, sicine ramis
Creditis o nymphæ, ne, caue nympha, cadas.
Illa pedem niueum nudata ab arundine pendet,

Dum piscem fallit littora ad ipsa lacus.

Pars tamen otia amant, fusæ per florida prata,
Pars capiti ex uario sertula flore legunt.
Has inter mihi uisa, rosis uiolisq; corollas
Intexisse duas candida Luciole.
Talis erat mea Luciole, Latonia qualis
Inter nympharum pulchra Diana choros,
Taygeti linquens saltus, dum propter amœnas
Lauriferi Eurotæ conspatiatur aquas.
Tum me respectans, alacri pede fertur, & o mi
Dixit, amor salue, uitaq; corq; meum.
Serta sinu molli deprompsit, & aurea, & aureæ
Par Veneri, nostro composuit capiti.
Suauioluniq; dedit subridens. Iupiter, ut mi
Tum uisa e toto corpore abire anima.
His me blanditijs delusum liquit amantem
Somnus, speluncis delituitq; suis.
Somne atrox, Somne immitis, sæuissime Somne,
Me ad summa heu tollis sydera, ut inde cadam?

De discessu Lucioles in rus nucerinum.

Omnia pessime habent indignæ sortis amantem,
Omnia nam misero dextera, læua nocent.
Nunc tempus, blande quum spirant omnia amores,
Blanditurq; æther, & maris unda silet.
Ere redit repetens questus memphitis hirundo,
Ludit & in toto cærula turba mari.
Omnia sunt tranquilla, & rident omnia, ego unus

Omni damnatus tempore sum lachrymis.
Horrida tempestas hyemis quum nostra negarit
Gaudia,& æstatis perniciosa canis,
Autunnusq; austris atrox,atq; imbribus asper,
Cur instar brumæ uer mihi triste uenit?
Rus,in longinquam terram mea uita recedis,
Et quo non misero fas mihi ferre pedem.
Felix ac nimium felix Nuceria,quæ te
Luciole molli nunc tenet in gremio.
Heu heu quam timeo,ne prorsus inhospita tellus
Te mihi lux misero candida surripiat.
Si sapis,abstineas,aut credas parcius,illi
Nam sunt letiferis illita uerba dolis.
Rex Hebius quondam Pici regnauit in aruis,
Folia qua fertur littus in adriacum.
Formosa huic peperit coniux Nuceria prolem,
Qui olim post patris funera iura darent.
Sustulit e serua & natum rex nomine Firmum,
Virtute insignem,pectore magnanimum.
Huic nemo audebat ualidis certare lacertis,
Aut cursu,aut iaculo,aut marte ferocis equi.
Forma erat ante alios nymphis gratissimus,ut quem
Performidarit Mars in amore suo.
Tum demum insano Veneris stimulatus amore,
In iuuenem diuus comparat insidias.
Inuida uis animum urebat mentemq; nouercæ,
Quod iuuenis patri tam bene carus erat.

Reginam in somnis stimulat, ni perderet illum,
Iam fore quum natis auferat imperium.
Quo magis est blandus, minus est diuturnus in hortis
Flos, sic magnanimo mors uenit ante diem.
Ah quantum insidiæ potuere, odiumq; malignum,
Ah quantum facinus fœmina tristis obit.
Nox uidit, furuumq; caput cæca abdidit umbra,
Sunt scelus horrendum uisa elementa queri.
Nanq; armata ferox ferro Nuceria dextram,
Sopitum iuuenem nocte silente petit,
Et iugulum Firmi duro transuerberat ense.
Hanc iuueni indignam fata tulere necem.
Ingenti luctu, ac pompa deducitur. ora
Antiquum Firmi nunc quoq; nomen habet.

Ad Benignum Aegidium.

Leonis rabiem, canisq;, & æstum
Plus æquo rapidum furentis astri,
Ad te dum uenio meridiatum,
Vitaui gelidis tuisq; nilis,
Euripisq;, adeo Aegidi benigne,
Vt uer crediderim suum tenorem
Seruare, ingeniumq;. sed fatebor
In causa illecebras tuas fuisse,
Festiuosq; sales, quibus scaturis,
Vel multo uberius tuisq; nilis,
Euripisq; tuis, tuisq; nymphis.
Te te diuitiæ decent, opesq;,

Vti ſcis quibus & bene & benigne.
Sed heus Pauſilypi nouum ad uiretum
Quando pollicitam diem atq; cœnam
Expectanti auide dabis Benigne?

De catella Intimillæ.

Venite ad tumulum catellæ, amores,
Venite o ueneres iocíq; blandi.
Ferte cinnama miſta molli amomo,
Et nardo caſiam, crocumq; myrrhæ,
Miſta & balſama cyprio liquori.
Et uos o pueri, improbæ & puellæ,
Buſtum ſpargite floribus, catellæ,
Laudes dicite nobiles catellæ,
Quam tantum mea amabat Intimilla,
Quam tantum mea luget Intimilla.
O factum male, ſoluit atra parca
Tantas delicias meæ Intimillæ.
Dum caſtum mibi ſeruat illa amorem,
Riuales reicit maloſq; mœchos,
Infandum ſcelus, impotens furoris
Illam qui fuerat diu procatus,
Adeſt, aſſequitur meam Intimillam,
Ruit cum gladio in meam Intimillam.
O fidam comitem. ſinu catellam
Suas delicias tenebat illa.
In os proſilijt catella mœchi,
Ruitq; in gladium catella mœchi,

Heræ & præposuit, suæ, salutem.
Hanc luget mea mitis Intimilla,
Funditq; in lachrymas pios ocellos,
Dum condit tumulo suam catellam,
Dum soluit cineri suos honores.

De catella Acmes Intimillæ.

Dum procus ense ruit pulchrã malesanus in Acmen,
Seruabat dominæ fida catella sinum.
Non ferrum expauit, sæuo sed se obtulit hosti,
Et defendit heræ pectora, morte sua.
Ah facinus tam triste, iaces formosa catella,
Et tantam dominæ linquis amaritiem.
Vtraq; laude pari digna. hæc pietatem & amorem
Testata est lachrymis, interitu illa fidem.

Ad sapientiam.

Quam pulchra es mea amica, quam decôra.
Tui sunt niueæ columbæ ocelli.
Quod latet, taceo, in sinu beato.
Caprarum utq; greges, tui capilli,
Quæ cum uespere se domum receptant,
Læto e gramine Gelboes uirentis.
Tibi ut candidæ oues in ore dentes,
Quæ de flumine prodiere puro,
Argento nitido nitentiores.
Vitta ut coccina sunt labella rubra,
Spirant nectareæ unde suauitates.
Vt fragmen tibi punici rubelli

Mali, puniceæ genæ, atq; apricæ.
Quod latet, taceo, in ſinu beato.
Vt turris, tua quam ſuperba ceruix,
Quæ cœlo capite ardüo minatur.
Et ſunt turgidulæ tuæ mamillæ,
Vt duo binnulei albuli gemelli,
Qui inter lilia luſitant roſaſq;.
Quod latet, taceo, in ſinu beato.
Ad montem propero, tuas latebras,
Ad montem caſiæ, optimæq; myrrhæ.
Veni tu mea lux, amata uirgo,
Et cape e manibus meis corollas,
Quas tibi manibus meis paraui,
Depictas uario colore florum.
Pectus tu mihi ſponſa uulneraſti,
Dum crinem religas, caputq; comis.
Corda tu mihi ſponſa uulneraſti,
Vno dum aſpicis alteroq; ocello.
Quam pulchræ tibi ſunt ſoror papillæ?
Qui ſuccus fluit inde ſucculentus?
Et fragrat ſinus omne ſupra odorum.
Et ſtillat fauus e tuis labellis.
Sub lingua, o mea, lacq; melq; ſudat.
Septus hortulus, omniumq; florum
Fœcundus, mea amica, fonſq; uiuus,
Vnde riuuli & hinc, & hinc nitentes.
Cum nardo crocus, atq; blanda cyprus,

Myrrha, cinnama, balsama irrigantur.
Surge surge Aquilo, ueniq; dexter,
Persla & flamine quam potes sereno
Hortos floricomos meorum amorum,
Spirat ambrosia unde, & omne odorum.

Egloga Sapientia.

Impatiens quondam generosi sponsus amoris
Non ultra a nostro potuit secumbere lecto.
Venit, & incenso iactauit corde querelas
Postibus aduersis, dum me sopor altus habebat.
Pande fores mea sponsa, redit tibi dulcis amicus.
Pande fores mea lux, mea mitis flamma, mea aura.
Aspice, rore caput madet, & nox horrida plantas
Perstringit glacie, gelida & me frigerat umbra.
Pande fores mea sponsa, redit tibi dulcis amicus.
Pande, licet molli posuisti membra cubili,
Pande, licet uiui lauisti fluminis unda.
Pande fores mea lux, mea mitis flamma, mea aura.
Tu sine me dulcem petis ah per membra quietem
Frigidulo in thalamo, infelix ego limina seruo.
Ah dura, ut nitidos compressit somnus ocellos.
Immemor heu nostri, ah duro pectore uirgo.
Forte mei in somnis placida obuersatur imago,
Et tecum teneros lusus, & iurgia miscet.
Quin mea, quin surgis, uerumq; admittis amantem?
Quem ingratum accelerans cogit discedere Titan.
Nunc uale, & hæc dominæ uenti referatis ad aures.

Sponsa uale, duræq; fores, & claustra ualete.
Hæc ego de somno uisa exaudire profundo
Surrexi. heu nullus deserto in limine carus
Sponsus erat. tum uoce uias uexata dolore
Impleo, & ingeminant tristis nemora alta querelas.
Dicite uos nymphæ, an nostrum uidistis amorem?
Et, si, qualis amor noster sit, quæritis, ille
Candidus in primis, rutilantiq; ore, serena
Fronte, supercilijs, ut florum consita rupes,
Ridenti facie, tum circum tempora, crini
Tam nigro ut coruus, tam pulchro, palma ut Idumes.
Cuius, qui aspiciat tremulos duo sydera ocellos,
Perspicuum ad fontem niueo candore columbum
Aspiciat, blando cum murmure gestit amicæ,
Lasciuosq; oculos nunc huc nunc reijcit illuc.
Et ueluti areolæ sunt illi flore nitentes
Ordine dispositæ molli, malæq; genæq;.
Punicea & myrrham stillantia labra, manusq;
Aureolæ, aureolis inter distinctæ hyacinthis.
In collo niueo, roseoq; in gutture uernant
Qui campi flores, quæ lilia uallis amœnæ?
Talis quippe meus, specioso prænitet ore,
Qualis, ubi Oceani, quum tempore matutino
Permulcent Zephyri clementi flamine cœlum,
Aureus auratis sol crinibus exit ab undis,
Amittuntq; suas cedentia sydera flammas.
Nectareis malis, & odoro flore puellæ

Me stipate, etenim secreto langueo amore.
Langueo amore adeo, subeunt quum gaudia nostra,
Amplexus dulces, & dulcia uulnera amoris.
Dic, ubi uillosas rapido sub sydere solis
Pascis oues? molli recubas an forte sub umbra?
Ne te dum quæro, nemorum per deuia oberrem.
Sponse ueni, tibi iampridem flauentia in hortis
Seruaui, tuteipse leges ex arbore, poma,
Et seruat grauidos tibi uinea nostra racemos.
Interea o pueri uersutas fallite uulpes,
Ne sint exitio pomis, & mitibus uuis,
Atq; arcete lupos canibus, ne matribus hœdos
Auelli sinite. insidias pueri ante cauete.

In fœminas petulantes.

Quid malum? an ne erit huic procacitati
Vestræ terminus aut modus repertus?
Nullo fine rogatis impudenter.
Sic ignis sacer, impotensq; febris
Exest uiscera, perbibit medullam.
At uos improbius. miselli amantis
Fortunas, animam, improbæ uoratis
Vestra ista petulantia impudenti,
Vitæ pernicies, seges malorum,
Harpyiæ, satæ & inde pulsæ ab Orco.

Ad Isabellam Piccolom. & Ant. Aliphatem.

Venisti noua nupta dijs secundis
Aedes ad nitidas tui mariti.

Expectata diu uenis puella.
Expectat genius, deum saluta,
Et sanctas pia thura adure ad aras.
Expectat socer, & seueritatem
Ponit, teq; oculo aspicit sereno.
Te cupit tua perbeata socrus,
Et totæ tibi gratulantur ædes.
Ardet te tuus, & uocat maritus.
O quot delicias tibi apparauit.
Quas inter, catulum albulum. at caueto,
Petit dentibus improbus catellus.
Iam matris gremium puella friget.
Contra, iam thalamus calet mariti.
Nostra es, flameolum uidemus, atq;
Attollunt pueri faces pudicas.
Hymen o Hymenæe, iam canamus.
Par est, ut renouentur omnia illa,
Quæ nouum ad thalamum canunt puellæ.
Quando non renuit Diana dona,
Quæ plenis calathis deæ tulisti.
Tu mox tende manum, en adest Lupercus
Hirto tergore, uerberante capro.
O Lucina puerperam leuato
Omni languidulo dolore diua.
Nascatur puer, optimumq; patrem
Et matrem uideat senes superstes.
Certet cum Priamoq; prole & annis,

Vincat diuitijs Phrygum tyrannos,
Sit felicior omnibus Metellus.

Ad Traianum.

Quæ tibi puerum dedêre diuæ,
Stamen quæ digito trahunt seuero,
Illæ ipsæ facili benignitate
Seruent, ut uideat senes parentes,
Et senex uideat gregem nepotum.
Nunc matrem puer implica marito,
Vt uitis cupidæ implicatur ulmo,
Et cita ex utero tuæ parentis
Concordes socios, piosq; fratres.
Atq; ut diuitijs domus beata,
Sic multa sobole, inclytaq; prole
Abundet, niteatq; liberali
Et comi hospitio. fauete linguis,
Et boni hæc oculis uidete castis.
Rumpantur mali & inuidi. inspuamus
Ter sinus, ter & imprecemur. ite,
Abite in penitissimum barathrum
Letales oculi, astidumq; linguæ.
Sit uobis male, nec queatis inde
Traiani speciosa fascinare.

Egloga Aepolus.

Syncerus Aepolus.

Aepole sic tacitus solis in montibus erras
Cum grege subtristi. quondam sub Daphnide nostro

Et doctis musis & Apolline digna canebas.
Ad Cereris fanum memini te condere solem
Cantando, & magnum Alphesibœum uincere cantu.
Tum Doris formosa aderat. quas illa calentes
Concepit uirgo tacito sub pectore flammas?
Quo uis illa animi, quo spiritus ille recessit?
Altera iam curuat sublimis cornua Phœbe,
Quum peregre adueniens exul, patria arua reuiso.
De te pastorum quis non mihi sæpe rogatus?
Aep. Quod saluus Syncære tuos, patriamq; reuisis,
Gaudeo, & antiquum uideo, atq; amplector amicum.
Auia per nemorum ac saltus quod solus oberro,
Non fit morbo animi, qui perdit gaudia uitæ.
O Syncære, fuit pastorum montibus olim
Nobilitas nostris, & uirtus aurea fulsit.
Quum bona simplicitas florebat, amorq; uigebat
Mutuus, & quum pastores in gramine molli,
Propter aquæ riuum, sub ramis arboris altæ
Proiecti, genio indulgebant, iam procul actis,
Alta catenatis agitant quæ pectora, curis.
Aut ioca miscebant mira dulcedine, & inde
Illi oriebantur pingues ex corde cachinni,
Vt uera agnosci posset, simplexq; uoluptas.
Præsertim quum tempestas ridebat, & anni
Tempora pingebant lasciuo gramina flore.
Quid referam priscam musam, priscasq; cicutas,
Quis animos olim mulcebant? o bona musa,

Syluestris musa, o mores, o otia dia.
Omnia sunt euersa. ipsa & fidißima mater
Fert tristem læto ac fallacem in semine frugem.
In taxum felix mutata est Palladis arbos,
Nobilis & Bacchi in uacinia uitis amara.
Induit helleborum tristem cytisusq; thymusq;.
Vsq; adeo fracta est ætas, effœtaq; tellus.
Quid faciam Syncære? hominum commercia uito.
Quum primum roseis digitis cœli atria pandit
Aurora, & cæcis terræ nox abditur antris,
Ipse operi accingor, Pani uotisq; solutis,
Ter septum lustro, magna mox uoce capellas
Euoco, & huc cursu læti contendimus. ipsam
Dorida concinimus. non dum sum oblitus amorum.
At quum sol rapidus candenti lampade terras
Percoquit, aut patulæ cessamus ad ilicis umbram,
Aut nitidum ad fontem, aut fruticetum uallis opacæ.
Aspice ut incuruant pectus, duo fulmina, fratres.
Ille lacon, hic est albana gente oriundus.
Nulla lupi mihi cura subit. sed carmina lenes
Inuitant zephyri, & uernanti prata colore,
Inuitant teneri tremulis in uocibus hœdi,
Atq; auium liquidi cantus. tum guttura soluo,
Et nemorum nymphas, montanaq; numina faunos
Allicio, atq; ipsi plaudunt cum matribus hœdi.
At te quæ tandem longo post tempore nobis
Aut gens aut mundi regio longinqua remittit?

Sync. *Aepole, ſunt longæ ambages, ex quo hiſpalus, atq;*
Ille alter noſtrum coniurant pellere Daphnin.
Ah facinus, quæ aquilæ incautũ inuaſere columbum.
Paſtores aliquot comites acceſſimus, omnem
Fortunæ euentum laturi pectore firmo.
Ipſe equidem obſtupeo montes ad ſydera cœli
Vertice ſurgentes, & flumina, quæ mare credas
Fluctibus, immenſo ac ſpatio. nos uidimus, & uix
Credimus. illa fidem ſuperant miracula, nempe
Diuerſum cœlum, diuerſaq; paſcua, ritus
Longe alij. o felix, qui noſtrum natus ad orbem,
Securus peragit conceſſæ tempora uitæ.
Aep. *Quid Daphnis faciebat? paſtorum arbiter, ille*
Hic erat aſſuetus morbos arcere malignos
Aut campi, aut pecoris, mala ſi contagia forte
Inciderant, doctaq; manu diſponere uites,
Atq; fera inſerere externos ſuper arbore fœtus.
Omnia diuino callebat pectore Daphnis.
Sync. *Quid faceret? curas inter ſpes una fouebat,*
Poſſe lares dulcis, patriaſq; reuiſere ſedes.
Qua tandem extincta fatis ſeſe obtulit heros.
Pro ſuperi, hæc meruit crudelia funera Daphnis?
Aep. *Ne lachryma. natura homines hac lege creauit.*
Infimus ac ſummus fato cariſſima debet.
Dij melius natis, abijt ſol, ite capellæ.

LIBER QVARTVS.

De progenie Anysiorum ad Pomp. Columnam.

Nostræ scire cupis gentis originem
Pompei, ac si ataui sint celebres mihi
Fama, romulidæ sanguinis inclyti,
Tu unde ortum trahis, & summa animi bona.
Obscuram historiam, si iuuat, explico.
Tancredus tenui dum premitur lare
Prolis pro numero magnanimæ, parat
Externisq; pater quærere sedibus
Fortunam meliorem, excijt e solo
Natali, iuuenum prævalidam manum,
Cultus quos Araris, quosq; Gebenna alit,
Claros nobilibus progenitoribus.
Ceu magno Aesonidæ peliacam in ratem
Iungunt huic gemini sese ita Castores
Cum Iacobo Artusius. nam imperio domi
Mos natu obtinuit sidere maximum.
Et nunc non modicis imperat oppidis
Ad Rhenum, & rigidos ad Neromanduos.
Nauatam ob operam sub duce strenuam
Donantur iuuenes Virgiliano agro,
Qui Sarni gelidis fontibus imminet.
Regnatumq; diu est, aucta opibus domo
Quartam ad progeniem. quum leuis ecce fors
Sese interposuit, nam mala factio
Iam tum Albi atq; Rubri feruere ceperat.

Et hinc terribilis filia Tartari
Grassari dea per uulnera, per neces.
Tandem fracti odijs, perpetuo ac malo,
Curaq; & studio, connubijs parant
Furentes animos nectere mutuis.
Sed longum nequijt ferre odium moram.
Fatali celebrant uirgine nuptias,
Nostrosq; accipiunt magnifice Rubri
Securos scelerum. pro facinus ferum,
Aequis haec oculis Iupiter aspicis,
Et tu sancte Hymeneae, hospitijq; dij?
Albos tum gladijs confodiunt, dapes
Interq; & calices. sic odium supra
Triginta ingenuos perdidit impotens.
Vnus sub gremio foemineo puer
Fugit perniciem. qui profugus, miser
Amißis opibus degenerauit, &
Obscuris sobolem prodidit artibus.
Sic longum latuit nomen Anysium.
Nobis sit melius, sitq; nepotibus.

Ad Petum.

Aduenere tibi dies
Optati nimium quum pede dextero,
Quid te Pete beatius?
Horrebas, memini, militiam grauem,
Et Martis fremitum trucis,
Nam uati est odio tristitia & metus.

Sed lene ingenium, tui
Diuina & uenus & gratia Prosperi,
Te per certa pericula
Duxissent, Scythiæ per iuga, per niues,
Per uasti Oceani minas,
Per sæuos populos Terei & Arsacis,
Per regna arida feruidi
Austri, qua asperius quam pelago furit,
Præclari comitem ducis.
Optabas, memini, delicias domus,
Aut ruris gelidum nemus,
Fontis propter aquam solis in æstibus,
In bruma gelida ad focum,
Contentus Glyceræ candidæ amoribus.
Hæc non, quot quot & Africa
Et læta in foueis condit Apulia,
Mutasses bona frugibus,
Dedissent tibi si his fata deum frui.
Nunc sospes duce cum tuo
Reuersus, reduci sacra Ioui, & deis
Fac rite annua patrijs.
Fraudarunt minime te precibus tuis.

Ad Marium Equicolum, de morte Herculis Cantelmi.

Aeternumne Mari indignum deflebis amici
Casum, Gradiui quem abstulit dei impetus,
Dum uictor uenetas funditq; fugatq; carinas?

Quid immerentes patris Eridani sacras
Sanguine tentatis miseri fœdare lacunas?
He heu imminet dolore dignius malum.
Nam timeo ut nostri sero sapiant, ubi nulla
Virtus iniquum demere audeat iugum.
Dij melius, falsus dicar post secula uates.
Compone mentem, fac doloribus modum,
Parcere si nescit mors. serius ocyus, omne
Quod oritur, æqua falce perdit impia.
Quicquid lamentis stulta indulgentia amaris
Impendit, e uita eripitur, Euro ocyor
Quæ fugit, & nulla magis in re fallimur omnes.
Defleuit olim Persa dux ut aptius,
Innumerum caperet quum agmen uix Græcia. at illi
Et alij, & alij obiere. sors ea nos manet.
Lucro apponendum est, quod uiuitur. i puer ergo
Cadum resigna Borsij memorem ducis,
Tristitiamq; leuet Bacchus. nanq; inter amicos
Licebit incalere paululum mero.
Aequior hinc animi, doctis incumbe camœnis
Mari, Herculem dijs adde & immortalibus.

Ad Hieronymum Carbonem.

Carbo quid hoc est? quid sibi uult deûm
Tandem potestas? nos miseros minis
Terrent, & irarum procellis,
Et nece, perniciéq; sæua.
An nos habent quod ludibrio & ioco?

An forte & ipsos dura necessitas
Compellit, æternumq; fatum
Lege sua imperioq; uinctum?
Omni parantur diuitiæ labore,
Omni periclo. non mare turbidum
Terret, nec insani Aeoli uis,
Non fera gens, uia nec per altos
Montes, arenasq; æthiopum, & feras.
Heu uanitas mortalium, ut omnibus
Cæca imperat ui, mutat oris
Mille habitus faciesq; dira.
Nostri Rearij plurima cura nil
Profecit, annos dijs patrijs procul
Bis quinq;. non aurum aut opes hunc
Eripuere uoraci ab Orco.
Et Cotta, uirtus, ingenium & ferax
Quem euexit alta ad sydera, ab infima
Tellure sublimem, sub ipso
Flore iuuentæ obijt. relinquunt
Nobis amicis hi obuia fletibus
Suspiria, & desiderium sui.
Et nos item flebunt amici. at
Quid gemitus lachrymæq; prosunt?
Atq; hoc leue est. at stultitia est mera.
Ergo quid est quod uiuimus? Isthmio
Sudauit ille in puluere. Orcus
Non apio, aut olea mouetur.

G *ens* Romula, *omnis robore* Martio
Terras *subegit, quid tamen abstulit*
Ad regna Ditis? *uana, uana est*
Gloria, *et ambitio, et triumphi.*
E *t ni esse melius post cineres, bonis*
Vere *refertur, iam aßis ego unius*
Nasci *æstimaro. quid* Camillo *est*
Aut *alijs celebrari in orbe?*

Ad Petrum Grauinam.

Q *uo me ira traxit per uetitas uias*
Late *uagantem? desine tristium*
Iam *barbitos, uatiq; lingua*
Nunc *liceat meliore fari.*
P *erpulchra uita est, atq; homini data*
Diuinitus, *qui fructus amabilis*
Ipsiq; *naturæ, atq; rebus*
Progenitis, *animæq; diæ est.*
A *t pulchior multo est, comite inclyta*
Virtute, *qua fit sole nitentior.*
Et *quum supremum* Ditis *atri*
Nupta *homini secat ungue crinem,*
H *ac itur astris. priscaq; fabula*
Cœlum *petentem fert sobolem deum,*
Dignosq; *mortales honore*
Castoraq; Orpheaq; Herculemq;.
S *ed nulla olympo certior est uia;*
Quam *Christi amicis, supplicio et nece*

Qui ſæpe mutarunt honores,
Illecebraſq; deæ doloſæ.
G rauina muſarum aßiduus comes,
Si quid meis in carminibus dolor
Peccauit, extinctis amicis,
Corrige tu grauiore plectro.

Ad Ianutium.

T e dulcis retinet Pauſilypus ſuis
Vmbris, & placidi murmure littoris,
Spirans perpetuum uer,
Atq; una Veneris faces.
H as me ad delicias ſæpius aduocas
Ianuti, heu facinus, Phyllidis improbi
Mores mi eripuere
Quodcunq; in me aderat mei.
D ura me illa tenet compede, uinculis
Duris, carcere duro, imperioſa, atrox.
Et ſiquid miſer hiſco,
Quod non Phyllidi ſit meæ
C ordi, dij melius, uel tacet, ut ſolent,
Qui Iunonis heræ rite ferunt ſacra,
Credas ſydere linguam
Percuſſam ſubito graui,
V el clamat furiata, ut reſonant, ubi
Germani a radijs luna receßit, &
Vt ſit Bacchi in honorem, aut
In matris Berecyntbiæ.

Ne me ne precibus præcipites tuis
Iræ & sæuitiæ Phyllidis asperæ.
Tanto heu pulchrior illa est,
Quanto ira magis incalet.
Sed est, quo reuocem te ipse citatius
Blandæ Parthenopes ad gremium, ducis,
Rumor uellicat aures
De fausto reditu tui.
O Iuno, o Venus, o maxime Iupiter,
Post longas tenebras, iam nitidos date
Soles, lucidaq; astra.
O quando hic aderit dies?

Ad Ianum Antonium Aquiuiuum.

Quod nil in orbe fecerit frustra deus,
Quis Iane sapiens ambigat?
Quodcunq; pessimum uides in moribus,
Induxit id leges bonas.
Virtus nec ipsa sit, nisi uitium foret
Vice mutua boni & mali.
Nullus ueneni tam potens serpit draco,
Qui sæpe non sit usui.
Quin illud Euæ, quod putant summum malum,
Quam maximum peperit bonum.
Ex tabo oriri tædium expedit graue
Muscas, modo absit dum lues?
Densantur atræ noctium caligines,
Vt pulchrius niteat dies.

Libido & ira spiritum segnem excitant,
Cotes uirorum fortium.
Damnant auaros, pertinaces socrates,
Labore quod uitam terant.
Essent ni auari, quos pati pericula
Vltra uel orbis apsides
Iuuat, superbas dum parant opes, mare
Innauigatum feruido
Sub æquinoctio occuleret adhuc nouum
Orbem, nouosq; Antichthonas,
Quo nostra penetrat puppis, & prisci stupent
Tam nobili in mendacio.
Quid ergo in orbe nascitur temere, malo
Bonum si adoptari uides?
Perpulchra mundi consonat symphonia
Ex hisce rebus dissonis.

Ad diem.

Excussor omnium dies formidinum
Adest, nox piceos petit recessus.
Cogitq; ad undas Tethyos nitidum pecus
Cœli, sydera Phosphorus coruscans.
Salue parentis aurei aurea filia
Lux, decus patris, aureiq; mundi.
Salue, tuaq; fronte ut hilaras omnia,
Sic cor mi face lucidum & serenum.
Proculq; torpor sit, sit ægrimonia,
Et quicquid animo parit laborem.

Quæ recta sunt ministra, & improba amoue,
Sic nubes minimum atra te dehonestet.

Ad *noctem.*

Sol cinctus radijs antipodas petit,
Et nos in tenebris linquit. amantibus
Expectata uenis nox,
Perfunctisq; laboribus.
En pastor nitidus stelligeras oues
Vesper ducit olympo. facie nitet
Clara, argentea Phœbe. hanc
Mater nox amat unice.
Hac monstrante uiam, nauita marmora
Sulcat, insidijs cautior. hac duce
Festinante uiator
Longum carpit iter pede.
Salue nox placidi mater amabilis
Somni, atq; ipsa quietis placidæ datrix,
Curarumq; solutrix,
Et mentis domitrix malæ.
Nocturna o dea mi tempora tempera.
Infestas animo disijce imagines,
Atq; horrentia uisa,
Dum sol se Oceano explicat.

Ad *Alphæum Carrafam.*

Seu tu per altum tendis iter nemus,
Aut per salebras montium, & inuias
Valles, ferarumue aspra lustra,

Sit Diana tibi comes.
Seu per rapacis fluminis alueum,
Aut per minaces terribilis sali
Vndas, pater Neptunus adsit,
Omnisq; Oceani incola.
Nunquam recedat filius impiger
Maiæ, tibi adsit, sedula mater ut
Natis solet, quodcunq; uotum
Poscet, siue neceßitas.
Non ne ille sæuus, non ne ille ferus fuit,
Primus malignas qui reperit uias
Conspectu amicorum & parentum
Et dulcis patriæ procul?
Nam quis deorum te abstrabit a tuæ
Complexu amatæ Myrtidis? illud os
Suspiria effundit, grauesq;
Singultus, faciles tibi
Spirabat olim quod ueneres, deum
Nectarq;. ocellis & lachrymæ fluunt.
Extincta fax est fronte & ipsa,
Atq; omnis periјt charis.
Quæ dura cautes? quæ genuit fera
Te Alphee? durum nil gemitus mouent?
Myrtis misella inter querelas
Hæc luget miserabiles.
Fertur quum Elisam Troïus aduena
Carthagine alta linqueret, intimo

Languisse mærore, illa furta,
Illi & dum subeunt ioci.
Sed dira habendi cura, parens mali,
Regni & libido posthabet omne fas,
Rectumq; dilectosq; amores,
Et uitæ studia optima.

In uinalibus.

Ades dea Meditrina, morborum potens,
Aegris laborem quæ leuas.
Ades precanti, & dextero ueni pede, &
Feliciter magno Ioui
Mecum liquorem liberi liba nouum.
Vetus nouum uinum bibo,
Veteri nouo morbo medeor. audi dea
Mea uerba amicis auribus.
Tuq; o Lyæe, magne Bassareu annue,
Iouemq; mecum nuncupa.
O sancte Iupiter precor, quæsoq; te,
Volens, libensq; ut usq; sis
Mihiq;, domuiq;, familiæq; propitius,
Nostramq; gentem sospites,
Multosq; in annos hoc latice Bacchi, pater
Tua da uocare numina.

Ad Britonnium.

Per cepas ego & alium Canopi,
Perq; Ibin, Aquilamq;, perq; Anubin
Iurarim tibi amice mi Britonni,

Meis plus oculis amare Bassum.
Nam Basso nihil est magis disertum,
Nil urbanius, elegantiusue,
Quum uacat Venere & graui Lyæo.
Nec mirum, Decius magister illi est,
Qui leges epicurias tuetur.
Sed o, quis Decium deus malignus
Aeternum ad calabros relegat agros?
Me contra redamare Bassus ambo
Iurat cornua per timenda Bacchi.
Fronte an pectore, quis sciat deorum?
Sed dum sciscitor id deos, uidere est
Ad Austrum ardeolam tenere cursum.
Id factum esse opera tua Britonni,
Si me Bassus amat tuus, putarim.
Quare pro pretio cupiti amoris,
Per conuiciola ocymum satum do,
Quod uides hilari coma nitere,
Cum ruta, rapuere quam Melissæ
Nocte de media manus rapaces,
Quæ des Fronditiæ tuæ puellæ,
Ni mauis Adamantidi aut Philetæ,
Munus, quod Veneri Cupidiniq;
Dignum iudice des uel ipso Amynta.
At Basso ex uiola & rosa corollam,
Quam nec floriferæ ferant Cyrenæ.
Ex croco alteram, & aurea ex genista

Dono, uos pueri amouete sertum,
Quum Bassum dolor, aut remordet ira,
Aut dulces stimuli premunt amoris.

Ad Chlorin.

Non ego prædixi? quanuis non improba uelles
Credere, nequitiæ uertere dicta nequis.
Dicebam, memini, Chlori Chlori ista recedet
Aetas, quæ fastum fert speciemq; tibi.
Quin frueris pulchro, dum fors dat, flore iuuentæ,
Quæ nec opinantem fallit, abitq; fuga.
Aspice, diuino Veneris prope fulget bonore
Mane rosa, at languet mox abeunte die.
Aspice ut obnubunt nebulæ sublime serenum
Cæli, heu quam subito uitaq; luxq; fugit.
De te num poteras melius sperare? citato
Repit dicebam curua senecta pede.
En uenit, flauumq; caput cana implicuit nix,
Fœdauitq; illas inuida ruga genas.
Ille oculis abijtq; nitor, qui sydera sæpe
Vincebat, dentes quam male liuor habet.
Nunc uis te esse puellam, ultro nunc poscis amantes,
Atq; aditu, atq; modis omnibus es facilis.
Pinge anus arte genas, si dijs placet, unge capillos,
Adde aurum & gemmas, quid nisi Chlori es anus?

Ad Dorida.

O Dori mea sola salus, mea sola uoluptas,
Lux mea, floscule mi, uita mea, aura mea,

Te iubeo saluere, ualereq; te magis opto
Quam me ipsum incolumem, tu mea Dori *uale.*
O *Venus, o* Hecate, *o* Triuia, *o ter maxima* Iuno,
O dij, quis curæ est cernere res hominum,
Vos precor, atq; peto ueniam supplex, uenerorq;,
Omnia uti detis Doridi *fausta meæ.*
Deq; mea uita eripite, atq; auferte salute,
Doridiq; *accedat quod mihi surripitur.*
Iampridem, meministi etenim, inter suauia nostra
Tecum diuidua facta mea est anima.
Si mihi dij statuant non belle forsitan esse,
Pars animæ tantum sæua pericla feret.
At si, dij melius, minus o mea uita ualeres,
Essent in naui tunc geminæ una animæ.
Hactenus audiuere preces pia numina nostras,
Deinceps o magni dij meliora date,
Nulla si odoratis fumat non ignibus ara,
Damnatus uoti & debita persolui.
Nec cessator ero, donec mihi uita manebit,
Non leuibus donis uestra sacella colam.

Ad Hieronymum Tutauillam.

Contempsi quoniam oblatos Hieronyme *honores,*
Hoc me dementem forsitan esse putas.
Non sum animi dubius, quin magno semper honores
Constiterint, quamuis nil mage uita colat.
Esset ita o utinam studium moderatius istud,
Nec uirtus magnis cederet imperijs.

Quod renui, causis possem connectere causas,
Atq; hoc atq; illo condere me clypeo.
Temporis est iactura grauis, sermone teremus
Tempus? quin paucis rem tibi rite loquar.
Hoc sunt me superi dignati munere, ut amplas
Despiciam mensas, despiciamq; famem.
Est mihi, quod satis est. quodcunq; accederet, illud
Solicitas curas ferret onusq; mihi.
His opibus sat me ditant, mentemq; serenant
Otia musarum, si Venus una sinat.
Et nunc meonio canto pede grandia facta,
Magnanimosq; duces, fortiaq; arma uirum.
Et nunc umbrosæ meditor sub tegmine fagi
Pastorum flammas, quas Amarilli iacis.
Si quondam magnus secuit Lucilius urbem,
Nostræ etiam sannæ uulnera cæca ferunt.
Si lyricos modulor, mea non Polyhymnia muta est,
Atrocesq; minas noster iambus habet.
Nunc elegos deduco. huc me ferus ille Cupido
Frustra obnitentem, quum uagor, usq; rapit.
Sed mea Luciole, qua nil formosius usquam est,
Me duro & dulci semper amore fouet.
Hæc nostra ratio uitæ, inuideoq; tyrannis
Nil eqnidem, hinc nobis est procul ambitio.

Ad Vertunum.

Magne Volscinæ decus urbis heros,
Tusca quem caste ueneratur ara,

Clara te uirtus uehit alti olympi
Lucida ad astra.
Fingis æternum, Ioue non uetante,
Res potens, quanuis pater hoc dedisset
Munus, euasit latijs latebris
Quum Iouis iram.
Furta quot, nymphas duce te patrauit
Iupiter fallens uarijs figuris?
Coniugis contra faciemq; mutas
Sæpe in amicas.
Absores bello horribili gigantum,
Strage cœlestem populum fugaq;
Nilus ab fœda potuit uidere,
Flereq; cæsum.
Huc ades Vertune, uolens libensq;
Annue & nostris precibus, trimestri
Rite si sacro tibi nuncupamus
Nomina mille.
Appetit si uer, zephyrusq; pratis
Afflat, & syluis speciosum honorem,
Nubibus pulsis, aperitq; mundo
Dux gregis æthram,
Exuit tuo auspicio senectam
Annus, horrenti positoq; uultu
Lætus incedit, caput atq; hianti
Flore serenat.
Excipit quum uer placidum tepenti

Octipes Cancer, Geminusq; frater
Sydere, & dulces cerasos, & omne
Te duce pomum
Carpimus. tum mox Cereri corollas
Messor intexit, stipulisq; falcem
Expedit flauis, grauia & colonus
Horrea fulcit.
Ast ubi ardentis radius remisit
Virginis diæ, madidus racemis
Turget Autunnus, lacubusq; Bacchus
Imminet amplis.
Iam tuo ductu noua musta libat,
Bruma sed mox cum riget hirta, ad ignem,
Rusticus, trullam repetit sonantem
Numine eodem.
Vnus es, quicquid agitur. Quis unquam
Assequi uoce ingenioq; celso,
Nestoras uincat licet, & Sibyllas,
Te queat, annis?
Quippe mutamus nece siue uitam,
Omne seu morbo cruciamur æuum,
Seu solum tristi exilio paternum
Vertimus, es tu.
Nunc te opus Vertune, loqui at uetamur,
Tempora o sæua o inimica musis,
Nunc te opus Vertune, benigne muta hæc
Tempora sæua.

Ad Ferrandum regem Hispaniæ.

Constans fama canit, feruidam in Africam
Te accingi, æthiopesq; ac arabas uagos
Ferrande hesperij sanguinis inclyti
Exemplum memorabile.
Olim sic Atauus fecit & Hercules.
Stant Calpe atq; Abyle signa. abigit greges
Hinc, illic populat Hesperidum nemus
Victrix dextera nobile.
Lymphati en populi littora deserunt,
In montes trepidi diffugiunt, siti &
Squalentes in harenas. celer en eques
Iam te, iam tenet æthiops.
Iam nostri pedites terga pauentia
Vrgent, ac nec Atlas arduus, aut Niger,
Obstabitue tumens Nilus, & inuiæ
Aut fossæ, aut breuia, aut specus.
Non armatus arabs sanguine uiperæ,
Non nigri rutilans regia Memnonis,
Non ingens marium dedecus, aurea
Inter stragula Candaces.
Ceruorum fugiunt agmina sic trucem
Leonem, & uolucres sic Iouis alitem,
Et sic Pelamides æquoream canem
Stridentem rabida fame.
Quid Christo potuit gratius occipi?
En sanctas solymas barbarus occupat

Hostis, qui temerat sancta loca, breui
Aequanda, heu facinus, solo.
Et uos qui incolitis terræ oculum, bonam
Europam populi, tot ducibus bonis,
Totq; armis ualidi, fertis, ab hostibus
Sic Christi patriam premi?
Quin itis animo, & uiribus, auspice
Christo aduersus atrocem Syrum, & Arsacis
Immanem sobolem? iam fugiunt, metu
Ponuntq; arma ferocia.

Ad Ioannem Pardum.

Men durum, atq; licentiosiorem,
Nostri seculi improbi poetæ?
Vos præpostera nil tamen mouebunt,
Quæ imprudentius excidere uerba.
Certe elumbibus atq; comparatus
Istis, qui fluuij instar, ore bianti
Vomunt uersiculos, uidebor asper.
Mi placent uaria. ipsa mater alma
Non pinxit uario colore florum
Prata? & ipsa elementa non ne mista?
Est magnus fidicen modis remissis.
Quum miscet rapidos. sedent salebræ
Vasta in planitiæ, editiq; colles.
Et sexcenta alia afferam otiosus.
Vos binc illepidi poetæ abite.

Tu sentis aliter, tibi est canendum
Parde, & pieridum choro sororum.
Socrati placeam, eleuent Athenæ.

Ad adolescentes Vrsinos.

Quondam fama refert prisca Simoniden
Acceptum dubia Thessalo ab hospite
Cœna, nobilium inter
Graiorum iuuenum choros.
Hic uates cecinit cæus Apollinem,
Lenæumq; patrem, lætum adeo deûm
Pæana, oreq; ad astra
Ledæos pueros tulit.
Mulcet dumq; animos cantibus, omnium,
Verbis ecce citis nuntius euocat
Vatem. uix pede pressit
Nutantis laris ostium,
Quum in conclaue superne impluuium ruit,
Vt quercus rigidis icta bipennibus.
Euasitq; poeta
Erumnam auspicibus deis.
Illi interq; epulas, poculaq;, impia
Ob dicta in superos, corruit ut domus,
Pœnam morte dedere,
Vix noti sine corpore.
Dijs carus temere nil agit. est Ioui
Curæ. quid timeat sceptrigero Ioue
Defendente pericla?

Hostes quid timeat deos?
Quid uos, progenies clara Iouis, quibus
Sublimi axe nitent parrhasiæ faces,
Formidabitis, Austro
Stridente, aut Borea in salo?
Quid, Mars uel furias misceat, arduus
Atq; omnis ruat æther, ruat ac niger
In uos Tartarus, omne
Arcet si graue Iupiter?
Nil mirum est igitur, tecta ruentia
Si effugistis ope cœlicolum, bene
Hinc sperare potestis,
Fata ac temnere tristia.

Ad Gulielmum Budæum.

Desine sæpe eadem Budæe rogare, cur remota
Mens a tyrannis regibusq; magnis,
Cur ue alium orbem cessem uisere deses, abstinet ceu
Dirus ueneno a fraxino cerastes.
Sicrine amicorum tanto optime, quanto item uirorum
Doctissime, admirans stupebis illa
Multa uoluptatū genera? impiger æquora astra sulcat
Antichthonum, ut commutet ære merces
Mercator, milesq; furentia tractat arma Martis
Amans bonorum, prodigusq; uitæ.
Suffragia populi ambit ciuis, & inter alta rostra
Dies loquaces conterit. laborem
Sole sub ardenti robustus arator otio omni

Præfert nitenti, uilia estq; rerum
Fronde super uiridi, mensa neq; auet dapes acerna.
Quot corda condunt pectora ima, tot sunt
Diuersa studia, est in lancibus ut uidere doctis.
Et mi meum est cor, nec puto in tenebris.
Noui hominum mores & tēpora, noui in optimo orbis
Cælo satum me. cur ego hoc, benigna
Quod mihi Parthenope spirat mea, tam periculoso
Permutem honore, & qui perit uel uno
Puncto temporis? an colles alibi æque adisti amœnos,
Camposq; succis omnibus beatos,
Blanda aut littora? quæ colit & Venus, & Cupido, &
Quicunq; tristem arcet deus dolorem. (omnis

Ad Pimpinellum.

Sales lusimus & iocos procaces,
Atro dum mihi tempero in furore,
Quem mores peperere tristis æui.
Sed bilis nequijt diu latere.
An longum lateat sepultus ignis
Sicco in fomite flante Apeliote,
Et sæuo Borea, Africoq; & Austro?
Quis secli inuidiam queat tacere?
Si me lædere quispiam recepit,
Desistat, moneo, meumq; cornu
Sciat comminus, eminus ferire.
Non libenter, amice Pimpinelle
Per Iouem hoc facio. illud hercle multo

Mi olim dulcius, improbam Terinam,
Illam aut dicere, quæ meum ab ocellis
Cor nigris pupugit, comaq;, Dorin.

Ad Camillum.

Sperabam mihi te esse negligentem,
Quando hoc tu uitio malo laboras.
Nunc es non dubius Camille amicus.
Plus æquo mihi de tua dedisti
Merce. te in aliquo remunerabor.

Ad Terinam.

Iratus tibi sim times Terina,
Ah quam non facis usquequaq; belle.
Iratus tibi sim, potes putare,
Id si uel libyco audias ab Hirco,
Aut uetus tibi dictitet Sibylla?
Iratus ego sim meæ Terinæ?
Meis delicijs amoribusq;.
Illuxit mihi tum dies serenus
Omni amœnus amœnitate amœna,
Quum primum capior tuis ocellis,
Quum primum imperio tuo subactus,
Tuas accipio Terina leges.
Ne suauis mihi, ne medulla mellis,
Mus, passercule, turtur, & columba,
Dehinc id timeas Terina bella

De Prospero Columna ad Petum.

Quod magni Homeri plectra sonantia

Reddant Vlyssem Penelopes toro,
Plaudente felici camœnæ
Multa choro argolico ac latino,
Andinus idcirco abstineat meus
Iussis poeta Anchisiaden deûm
Tam sæpe iactatum procellis
Sistere in Italiam, ferocem?
Quanuis celebret Græcia nobiles,
Lingua Cratinon aspera, & Eupolin,
Lesbiq; musas, Pindarumq;,
Stesicorumq;, Simonidemq;,
Non Phœbus arcet propterea Aufidi
Dulces ab undis Aonidum fides,
Sed Flaccus audens ducit agmen
Eximiusq; lyra, atq; cornu.
Pone & Philetam, & Callimachum, fuit
Doctus Catullus. clara Propertij
Fama, & Tibulli. Sed quid illos
Aut alios memorem poetas?
Aetas recenset nostra Neapoli
Pontanum amicum nobilioribus
Musis, Marullumq;, Actiumq;.
His me utinam adnumerent nepotes.
Ipse & bonorum calcibus institi
Vestigia ardens, tergaq; uix tenens.
Nec Sirmio mi docta pressit
Os digito, uetuitq; fari.

Quin Pete pergis dicere Prosperum
Heroa magnis persimilem deis,
Quid stas Columnam tollere astris,
Quæ irradiet Tanaiq; & Indo.
Res forte gestas deterere ingeni
Culpa times, aude, faciles dei
Orsa adiuuabunt, nec camœnæ
Defuerint, nitidusq; Apollo.
An strenui, Alcides quia uindicat
Primas, & Aethræ filius inclytus,
Non gnaui Achillis clara uirtus,
Merionæ, Idomeneiq; fulsit?
Qui Prosperi altum cor stimuli excitant
E somno, aguntq;, ad fortiaq; admonent?
Virtute fortes incitantur,
Degeneres animos remittunt.
Memphi hæc sacerdos. ponere imaginem
Te Dari iniquum est ante canopicum
Magnum Sesostrin. cessit, illum
Rex meditans superare factis.
Felix canenda & fortia qui facit,
Aufert secundas Mnemosynæ sacrans.
Mirum, tot in seclis fuisse
Tam exiguo numero probatos.

Ad Ianum Franciscum de Capua.

Ad cœnam me Iane uocas, uenioq; libenter,
Nam uncta est, comis tu, & multus Iacchus adest.

Sed uenientem adeo primo me in limine ualde
Pœnitet, occurrunt, turba odiosa, canes.
Baubatu accipiunt, ad mensam deinde molesti,
Illa pauimenti spurca referre piget.
Nam moueant stomachum Felici, *ac filio, & ipsi*
Immundo immundi stercoris usq; deo.
Ipse libentius ad Strophadum conuiuia, Phineus
Si inuitet, uadam, læderer inde minus.
Felices Arabes *Sygaritæ, quo mala pestis*
Non hæc peruenit, uel perit aduenieus.
Vt uenatores pereant uanissima turba,
Quis tanta accipitrum, & cura odiosa canum.
Quam bene discerptum finxerunt secula prisca
Arcadium uernis a canibus iuuenem.
Quam bene nare tenus medicus summerserat istos.
O pereant uolucres, o pereantq; canes.

LIBER QVINTVS.

Ad amorem.

Te cano inclyte amor, amor uenuste,
Qui pulchri es dator, elegantiæq;,
Qui omnium pater artium, lepore
Omnia condis.
Nulla te sine dulce consonaret
Rebus harmonia, ipse nectis illa
Diuersa ingenia, est graue atq; acutum

Te duce concors.
Ni fores, rueret fluens supinam
In matrem Oceanus, liquorem & ignis
Superne impeteret, grauemq; terram
Arduus æther.
Sternis æquora nutu, & horridi Austri
Ponunt, tu iubeas, bonæq; pacis,
Risus, illecebræ, ioci, atq; lusus
Blande minister.
Iram pectore, & incitum furorem
Dimoues, placidam inserens quietem
Cum desiderioq;, gaudioq;,
Lætitiaq;.
Nil non, quod bene cor sibi precetur,
Fundis largiter, ultro & ipse præsto es,
Nil non, quod male mens sibi ominetur,
Pellis agisq;.
Torpet sæua necessitas, amoris
Quum splendent radij, & manu minaci
Clauos terribiles, trabesq; ahenas
Trux dea quasset.
Quicquid rusticulum, minusue comptum
Natura ingenuit, supiniores
Seu mores peperere, tu polita
Corrigis arte.
Quicquid indomitum, nimisq; sæuum
Natura exposuit mari atq; syluis,

Perfundis latice illo amoris, & man-
Suescere cogis.
Mentem idem nimia æstuante flamma,
Admotis stimulis citasq; & urges,
Mollis impatiens moræ, quousq; ad
Summa feratur.
Te ducente, animi intimos recessus
Perbeata proportio illa rerum
Peruadit, tenebras fugans, serenæ
Lucis amica.
Te ducente, oculi coruscum in æthram
Leuantur, auidi superni honoris,
Atq; alas animi explicant, uolantq; ad
Sydera summa,
Vbi altum ad tripodem patri deorum
Ioui maximo optimo propinas
Diuinam ambrosiam, atq; suaue nectar,
Cum Ganymede.
Hoc dulci latice ebriata tandem
Mens, mira afficitur suauitate,
Nam uidet penitus dei imperantis
Consilium & cor.
Tu deos, hominesq; miti, amœno
Ore concilias, tuoq; succo
Perfundis medioximusq; dæmon,
Maximus & dux.
Sub tuo auspicio, tuoq; ductu

Merent & ueneres cupidinesq;,
Et ioci teneri, tuo ab lepore
Gratia salsa est.
Siue es ante chaos, tulitue terra
Seu te, seu Veneris puer Cupido es,
Seu priscus te Erebus, dei nepotes
Seu genuere.
Sic frontem nitidam, caputq; fuluum,
Vernantes oculos, genasq; apricas
Videndo obstupeant dei deæq;
Aurei olympi.
Sis æquus mihi, candidusq; semper,
Semper & facilis, nouus fauillam
Si extingui haud sinit ignis, occupari &
Me iuuat aris.

Ad Pomp. Columnam.

Quando tam lepide atq; tam diserte
Mecum de Veneris potente nato
Pompei optime amice disputasti,
Mox domum ut retuli pedem, camœna
Cuncta carminibus referre iussit.
Tu culto ingenio illa si probaris,
Spes est perueniant quoq; ad nepotes.

Ad Gelliam, quæ nouies nupsit.

Si quis purpureisq; sericisq;
Amplas uestibus occuparet arcas,

In brumaq; ageret rigente nudus,
Non hunc ridiculum caput putares?
Et quum quis sitiens Iacchi, acetum
Potat, dum sibi cella Baccho abundat,
Non ne Tantalus ultro is est, libensq;?
Quis fuit, qui asinum ualentiorem
Gestabat humeris labore summo,
Sic parcens asino, sibi ipsi iniquus?
Næ tu Gellia diues es cerebri,
Cui quum pessima sors uirum abstulisset
Primum, inde alterum, & inde tertium, ipsa
Ad nonum usq;, tamen bona ac pudica
Duxisti, tibi consulens & orbi.
Concedam hoc uiridi omnibus iuuenta.
Nam quid est magis impium, ac scelestum,
Quam quas nostra parens ministrat alma
Natura, unde animantium est origo,
Auferre atq; negare rebus usum?

Epith. Phaethontis.

Aenea sum uirgo custos imposta sepulchro,
Dum mare uentus aget, tundent dum littora fluctus,
Non mea cessabit, uox ferrea dicere, flammis
Hic iacet extinctus Phaethon Clymeneia proles.

Ad Montanum Galtethum.

An non dum Montane liquet, regere omnia fatum?
Clarius an sole est, quum nebula omnis abest?
Arguit hoc sæua unius fortuna Lucreti,

Omnis compilat quem studiosa manus.
N anq; alios nobis inuidit cana uetustas
Insignes prisca simplicitate uiros.
Q uo post floricomos magni de fonte poetæ
Fecerunt hortos forsitan irriguos.
T antundem nobis cur non licet? emicat aurum
Furtiuum, sparsit quo sua prata Maro.
E uentu ne fit, an concesso? quum bene dictum
A quoquam est quicquam, dicereq; usus adest,
N ec melius se offert, pro nostro hoc iam licet uti,
Ordine seruato, consilio atq; modo.
M agnanimi est certe audacter conferre probatis
Sic sua, nec cuiquam gramina porrigere.
V irgilio id uitio dantem, sic ille repressit,
Quin hoc difficile est, quod facile ipse putas.
Q uin facis hoc tu Zoile? Quum bene furta cohærēt,
Vincta auro hesperio ceu indica gemma, nitent.
S ic uario arridet uestitum flore uiretum,
Insitaq; externis itala poma placent.
S ic suauem myrti, & uiolæ miscetis odorem,
Adde rosas, cana ac lilia, itemq; citrum.
P ersicaq; accedant unguenta, arabumq; liquores,
Et cylicum. mista hæc suauius ut redolent.
O siquis posit uatum legere omnibus hortis
Flores, o quam illud suaue poema foret.

In maledicum.

Quod flores aliquot suaui odore

Legi per uarios & hinc & illinc
Hortos, id uitio fero moleste
Verti. Virgilium hoc male est habere,
Cum priscis eadem quod ipse dixi,
Obsecro an uitium est? ita hercle docti
Verbis conueniunt, ut æquitate
Semper conueniunt uiri probati.
Liber ut uia publica estq; sermo.
Si furtum fuit, est magis stupendum,
Ex tot tam bene frustulis coactam
Tantam Pyramidem. atqui amice caute
Vide, ne male quum mihi ipse dicis,
Tunc laudem mihi copiosam adornes.

In delatorem.

Qui dente tristi mordet, & aperte male
Dicit, meum hunc perferre cor facile potest.
Qui fronte dulce nectar, & lingua gerens,
Intus uenenum pectore abditum premit,
Letali & icit spiculo, a tergo, eminus,
Hic, ut canis rabidus, ut aspis, ut nepa
Vitandus est, ut ignis ætnæus mihi.
Dei deæq; perdite has pestes malas.

Esse unum deum.

Quod sæpe, numero multitudinis, dixi
Deos deasq;, ne inscium putes lector
Fuisse me, uel impium potius, esse
Vnumq; & omnia optimum deum, terq;

Virtute mira maximum, deorum ordo
Cui mystice seruit. Deiq; sunt demum
Cognomina & uirtutum, item & potestatum,
Diuina mens æterno amore quos gignit,
Quiq; orti ab uno, reditum, in unum habent semper,
Ceu lineæ per apsidem a suo puncto
Euntq; redeuntq; ordine in suo quæq;.
Ceu in sole radij, deperit nec ijs quicquam,
Et cuncta lustrant, spiritum & fouent cunctis.
Nostra inde anima, rerum omnium uenit compos.
Si a summo iter ad imum est, media igitur nouit.
Hæc principi deo simillima exorta est.

Ad Vincentium Carrafam, card.

Quum flos uere nouo purpureus, deæ
Formosæ Veneris se explicat, aureo
Matutinus ab astro,
Gemmisq; uuidulus nitet,
Vt cor atq; oculos exhilarat, graui
Confectus senio & languidus, aut malo
Detruncatus ab ungui,
Sic cor atq; oculos ferit.
Quin & docta parens disposuit uices
Natura haud temere rebus in omnibus.
Non pulchrum uiride esset,
Ni contra foret aridum.
Et ne sim illepidus singula persequens,
Post noctis tenebras constituit diem,

Sydus ſolis & aureum,
Quo nil ſplendidius nitet.
P *oſt mortem gelidam uita repullulat.*
Eſt damnum leuius, ſi unius ex nece
Fit uita alterius. ſic
Fert cuncta, atq; eadem refert.
Q *uum flos ille fragrans occubuit domus*
Carrafæ, heu patriam morte Neapolim
Oliuerius, urbem &
Luctu liquit in aſpero.
N *unc uirtute duce & numine cœlitum*
Vincenti, in patrui deligeris locum.
Vt oſtrum, utq; tiara
Præfulgens decuit caput.
R *oma & Parthenope in lætitia ſtrepit,*
Per flores pueri, & uirginei chori
Ludunt, omnis & ara
Paſſim fumat odoribus.

Ad Alpheũ Caſtriotũ, de neceſſitate fortunæ.

Q *uæ non terribili ſæua neceſſitas*
Infligit miſeris uulnera malleo
Nobis, pectora tundens,
Nec parcens animi bonis?
S *emper feruet opus, nunc adigit ferox*
Vi ſumma cuneos, clauo adamantino
Nunc pectus fodit, altis
Legens cor penetralibus.

Vertitq; omnia ludibrio, & omnia
Nobis dedecori. heu quam agitur male
Cum mortalibus illis,
Parent qui imperio deæ.
Hinc scandit sacra fastigia, in aureis
Pompis, plebe satus nuper ab infima,
Moliri ardua tentans,
Mox præceps agitur miser.
Sublimes etiam uidimus in throno,
Et dantes populis iura potentibus,
Pressos post, humilesq;,
Reptantes lare in extero.
Do regijs pueris sæpe petentibus
Confectis inopi, pro facinus, fame.
Hinc tot degenerarunt
Mersi uilibus artibus.
Fabrum Antonius ex gente aquilaria
Fortuna actus agit, connumeratq; auos
Reges, eximiosq;
Romanam sobolem duces.
Mormandum hæc eadem fors agitat meum.
Tandiu hæc eadem pressit Anysios,
Sed fato meliore,
Quod tristem excutimus deam.
Ingratæ patriæ testula ciuibus
Prauo iudicio sæpius officit,
Quum tale haud meruerunt

Virtusq; & pietas uirum.

Quid priscos memorem Scipiadas suo
Tam belle meritos in populoi sinu
Cumano patriam exul
Mutat progenies deum.

Defendit grauibus temporibus, truci
Ab rege Italiam dux bonus. ob bene
Rem gestam, en rogat, assem
Hospes da Belisario.

Eoo imperio nuper ab hostibus
Oppresso, heu facinus, sanguine regio
Errantes miserosq;
Tot, durum exilium premit.

Non currum sequeris terribilis deæ,
O præstans animi militiæ & domi,
Et uestrum in solio usq;
Alphee enituit genus.

Felix qui superat uiribus ingeni,
Et pulchris animi dotibus, improbæ
Fortunæ insidias, &
Quas fert dura necessitas.

Epith. Andreæ Caietani, & Charellæ.

Bis triginta annos nulla cum lite mariti
Viximus, æui ægros abstulit una dies.
Felices igitur poteramus forte uideri,
Natorum orbassent funera ni atra senes.
Qui pauci superant, oculos clausere parentum,

Nosq; pij hoc gelido composuere toro.

Epith. Iulij Pont. Max.

Quo Iuli monumenta domi belliq; superba?
Ex his quid tecum est, hæc nisi nuda silex?

In petulcam meretricem.

Non te, non olidum pudet lupanar,
Blitum insulsius, ac marisca putris,
Aurum poscere, quæ soles merere
Vix binis obolis diebus octo,
Putidissima putidissimarum.

In principes Christianos.

Quo quo recessit otium, ac securitas
Regis Sabini? quem dea
Dignata colloquio docebat, quid pium
Quidue esset æquum, & fas. Numa
Ab hostibus pericla nuntiantibus
Respondit, at ego sacrufico.
Nunc auribus dei, & animis torpentibus
Preces bonorum respuunt,
Si qui boni sunt, nam esse paucos suspicor
Hoc *seculo impurissimo.*
Tenet, tenet desiderium pacis bonos
Sub rege pulsæ Hostilio.
Iactabimur, iactabimur tragicis malis
Miserrimi mortalium?
Quæ spes salutis? flamma, summa iam iam habet
Victrix, furens, fastigia.

Persæpe dixi, at eleuastis principes,
Vertenda in hostes impia
Arma, & propinquo sanguini æqua dextera
Parcendum. at heu cur uatibus
Plenis deo canentibus, non uos duces
Audistis? en flos occidit
Pubis latinæ, gallicæ, atq; ibericæ
Cum strage lachrymabili.
Rauenna tu uidisti, & ora fletibus
Mater rigas ardentibus.
Non terga cæsa, sed suo statum loco
Acri leonum robore.
Certatum uter nam esset, sub æthra lucido.
Victoris ah quæ gloria,
Quæ fama, quæ trophæa clara posteris?
Hac, pro scelus, potuit manu
Tundi, domari, perfidus Turca, & truci
Colore Maurus, atq; Arabs,
Et ambulari Hydaspe & Indo uberrima
Prata irrigata, & littora
Quæcunq; Tethys humido pede a suo
Quum exit uiro obrepens terit.
Ne crede signis qualia edunt cœlites.
Vidi ipse solem sanguinem
Fulsisse radijs illa in infausta die,
Heu tanta nec tenuit dies.
Vocat, uocat cum questibus sancta en domus

Nostros feroces milites,
Fœdata barbara manu Christi domus.
Quod barbaris lætum datis
Conflictu ab isto uestro inepti nuntium?
Tantum ira potuit uix trium.
Quid tot misellæ constupratæ uirgines,
Puerique nobiles, quid et
Vrbes tot igni exhaustæ, et usta tot deum
Meruere templa? cæcus heu
Cæcus furor, ferrique Erinnys imperat.
Sero patebit tum malum,
Quum mordicus scidisse nil fuerit manus,
Irata eruntque numina.

Ad C. Follerium.

Tristi hoc rapinæ tempore, et ultima
In fece morum, si quis amabilem
Cum laude uitam uiuit, hunc mors
Aut lethe premet inuida?
In nostro oberrant ordine hydri stygis,
Qui sacrosanctos per scelera ambiunt,
Emuntque honores, fine nullo
Recti, aut officio bono.
Non ulla diuum nunc ratio, impij,
Verbo et manu miscebimus omnia
Sacra et profana, hæc scilicet nos
Petri relligio docet?
Multo acrius demum ambitio tenet

Tectos cucullo, curaq; inops opum.
Quæ, si incidissent hic iambi,
Vibrarem ignea fulmina?
Tu perge terræ motibus obrutum
Templum uetustum rite reponere
Folleri, & extende in futura
Nomen nobile, secula.
Et uiue pulsa tristitia procul.
Et quum laborum uis grauis ingruit,
Accerse amicos, & lyæo
Curas dilue plurimo.
Nam plus quam oportet, si sapiens sapit,
Nimirum inepta est illa seueritas.
Si me uocabis, musa nostra
Te cantabit alacrius.

De sacello Anysiorũ. In tẽplo diui Ioã. maioris.

Mihi sepulchrum, posterisq; ponere
Cum ara statueram, noster ubi Follerius,
Qua semper est prudentia, in læua locum
Valuas ad ædis dat, cui ipse præsidet,
Ac si sim ego uirtute præclara Hercules
Nodosa claua, uulnera, ac necem ferens.

Ad Andream Campaninum.

Sæuit mors fera tertium
Iam autumnum calamis exitialibus.
Dum matres agitat dolor,
Campanine, uiros non lachrymæ decent,

Extrema alto animo dies
Expectanda, datur si fuga nemini
Mortalium. interea merum
Depromant pueri, quod nota dolijs
Asseruat tibi dignior,
Et pulchra Antiniana illecebris suis
Te mitis foueat dea.
Istuc tu comitem duce Setarium,
A missi patris optimi.
Quem desiderium conficit, & dolor.

Epith. Francisci Putij.

Putius hic situs est, illa heu facundia, saxo
Hoc clausa, æterno uicta sopore, silet.

Ad Petrum Bembum.

Mi Bembe, amicis significes uelim,
Istic camœnas qui faciles colunt,
Curas edaces, pallidasq;
Tristitias animo ut repellant.
Et si libebit, se studijs opum
Demittere, istisq; ambitionibus,
Finem modumq; in pectore ante
Constituant, teneantq; certum.
Viuant sibi & musis. modicæq; opes
Si sunt satis, quæ stultitia est, diu
Sic seruitutis pœnitendæ
Ferre iugum sub hero impotenti.
It uita cursu præcipiti. illud est.

Nostrum, quod extra seruitium fuit.
Persæpe noster, uindicabor,
Putius inquit, & aureum æuum
Degam. sed heu mors obstitit improba.
Hoc præcauendum est omni opera, & nihil
Cessandum amœni ferre fructum
Ingenij. hæc uia pulchra uitæ est.
Mortalium ingens est numerus, fuitq;,
Eritq;, curæ quis nitor est cutis.
Sunt bullæ inanes, & uidentur
Dijs similes, nitidi & beati.

Ad Lunam.

Syderum regina, sororq; pulchri
Pulchra solis, diua triformis, Orco
Magna, & in syluis, nitidoq; mundo ar-
Gentea Phœbe.
Noctis horrentis tenebras corusco
Ore quæ fugas, aperisq; cæcas
Semitas, laudat trepidus te amator,
Teq; uiator.
Somnij rectrix, opis atq; datrix
Languidis ægris liquido in sopore
Isi. se iactat, meritoq; iactat
Te sua alumna
Filius Maiæ generosus Hermes.
Artium inuentrix, tua laus, relicta
Glande flauescunt homini arua læta

Frugibus hornis.

Legibus si quis truculentus hostis
Non tuis paret, ferus huic Anubis
Latret e cœlo, rapidoq; ab astro
Torreat exta.
Tuq; contortis metuenda sistris
Turba te diuum sequitur potentum,
Septicornis quos fluuij nigellus
Accola adorat.
Quisquam & immensis dubitabit esse
Viribus lunam? ferit ecce crebris
Imbribus sudum, decimiq; fluctus
Littora plangunt.
Ipsius quam mox elementa nutu
Comparant sese. Oceanus latenti
Vi coactus, per numerosq; currit
Atq; recurrit.
Lumine exhausto, remeante Ditis
Coniugis frigens Hecate ad cubile,
Sanguinem exuctas tepidum uidemus
Linquere uenas.
Qui legis fucci medicantis herbas,
Cædis in sylua aut ratibus carinas,
Deniq; & quicquid facis, auspicator
Sydere amico.
Tuq;, ceu certa e specula, serenum
Nuntias æthram, & rapidas procellas,

Tu uices rerum, seriemq; mundi &
Quid rota portet.
Nata Latona Ortygiæ sub antris,
Mensium mox & domina, ipsa pulchris
Te licet Bubastis amata sacris
Pulchra moretur;
Sic minus tinnitu egeas strepentis
Cymbali, nullæ obtenebrentq; nubes,
Latmius sic te Endymion frequentet
Mutuo amore,
Diua ades, dextra & fer opem ualentem,
Vecta biga alba, placida in quiete,
Luce seu mauis rutilante, præsto es
Diua precanti.

Ad solem.

Quem mihi uotis facilem deorum
Inuocem primum, auxilio affuturum,
Dum cano te cor, oculumq; mundi,
Te nisi Apollo?
Te sine ad diuos aditus negatur,
Clauiger cœli, quadrifronsq; Iane.
Virgines puræ, pueri integelli
Dicite mecum.
Syderum dux, & gregis alti olympi
Pastor, aurata cithara, pharetra,
Et potens arcu, celeriq; telo

Aureę Apollo.

Phœbe Apollo, inclyte Apollo, Pæan,
Bacche mitis, uitisatorq; Osiri,
Mars ferox, dirum tua si Minerua
Ducit in hostem.
Pan sator, Saturne uorator æui.
Bis die, senex iuuenisq;, fulua
Barba, & imberbis, uaria in figura
Semper & idem.
Pulchra mens patris, manifesta uates
Signa præscribens, medice Aesculapi,
Sol pater lucis, liquidæq; flammæ,
Fonsq; perennis.
Brumæ & æstus arbiter, inq; curru
Consito mundi spatijsq; & annis,
Summus, imus, per maria atq; terras
Omnia lustrans.
Lumine augusto, refouesq; alisq;
Spiritum fundens, faciemq; rebus,
Aureo crini, radusq; lætus
Cuncta penetrans.
Tu uoluptatem atq; necessitatem
Temperas Thiæ soboles, serenas,
Excitas, sopis hominumq; mentes,
Et fera corda.
Hercules audax domitor ferarum,
Laus tua est Python domitus sagittis,

Iupiter quin tu homines deosq;
Fulmine terres.
Tethyos magnæ, Oceaniq; mensa
Te accipit primum, famulæ ministrant
Cærulæ regi superum dapesq;,
Ambrosiamq;.
Ducis insignem choream deorum,
Vnde perfecta harmonia illa mundi
Prosilit, quæ præterita & futura
Secla recenset.
Siue perceptis ita nuncuparis
Vocibus, quas nos docuere patres,
Siue quocunq; indigitaris usquam
Nomine rite,
En bouem auratum tibi, buculamq;
En tuæ matri. sinite o litemus,
Nos, reus uoti chorus, inuocamus
Cum prece multa.
Sol ades, dextra facilisq, præfer
Gratias, diris iaculare tela
Hostibus, qui heu Italiam feroces
Perdere pergunt.

Ad Traianũ Cabaniliũ & Serianũ Caraciolũ.

Torpebam, fateor, tristi Traiane ueterno,
Qui morbus urbem conficit miseris modis.
Pro facinus, primas hodie tenet infimus ordo,

Et ingenia, & artes bonæ, & musæ iacent.
N ec de more tibi solennia dona parabam,
Et iam december laneo exibat pede.
T um deus in somnis aurem uellens, ita Anysi
Ergo inquit inhonoros sines ire hos dies?
T um magis admonuit perpulchrum carmen, amici
Quo Seriani ornas nemoriuagam deam,
Q uando sic senior iussit deus, & tua musa
Traiane, pro xenijs duos misi deos,
N obile par cœli. Traianum frater adibit,
At Serianum haud indecentior soror.
V os macti ingenio iuuenes gaudete probari
Ita a deis. ualete, uiuiteq; diu.

Ad Iouem.

A udi deorum rex, parensq; Iupiter
Supremo olympi e uertice,
A udi, tua cano nomina ac mysteria,
Mundi architecte maximi.
T u unus, simulq; es omnia, eodem circulo,
Perfecto & æqualissimo.
E xordium fini, & media qui temperas,
Nihil redundans usquam.
P er omnia excurris, nec a solio tamen
Discedis hilum. hinc nascitur
C oncentus ille rerum, & harmonia, deos
Quæ pascit, ac lætos habet,
Q uæ cuncta mouet, & prima semina edidit

Partu beato & prospero.
Tu Iupiter primogenitusq; & masculus,
Tu sponsa, uirginum decus,
Tu regna terræ, tu tenes cœli aurei,
Vnusq; cunctis es satis.
Supremus, imus, fulminum, imbrium potens,
Potensq; lucidi ætheris.
Cœlum serenas nubibus pulsis, uolat
Quum leniter Fauonius,
Pingitq; flores, gramina ac succis replet,
Et arbores pomis grauat.
At omne natum soluitur, cuncta hæc hyems
Perdit malignis morsibus,
At prole mox quod interit, reficis noua,
Amoris alto incendio.
O sancta lex. quisnam querelis tecum agat,
Ni sit ferox & impius?
Tibi æquitas & ultio stipant latus
Comites, ministri seduli.
Regis superbi perdidisti copias,
Rubro ruens sub flumine.
Discessit at mare tribubus fugientibus,
Tutatus es tuos deus.
Præsentis atq; præpotentis hæc Iouis
Miracla passim cernere est.
Es Iupiter fatalium æquus arbiter,
Et distributor staminum,

V s, uiua flamma ignis, marisq; spiritus,
;Sol, luna, duxq; syderum.
C œli astra mirando ordine, & mundum sine
Labore contorques tuo.
M ens uasta mundi, rebus animam suggerens
Infusa mirificis modis.
P er te quod est uegetum, animatum, & ipsa mens,
Vitam uicissim uiuimus.
L ucis tenebrarumq; herus, uitæ ac necis
Potens, mali expers, fons boni,
I mmensa sunt tua omnia, sine termino.
Mens nostra caligat tamen
V el prima uestigare tua mysteria,
Tu solus hæc nosti deus.
N ostrum est timere, & supplicare, gratiæ
Sunt nostræ inexplicabiles.
I n nomine tuo, succiduo humi poplite
Superiq; & inferi cadunt.

Ad Augustinum Gniphum.

Q uæ te sinistra numina impellunt Gniphe
Solumq; inermemq; in feras
E t bellicosas nationes, omnium
Mortalium sæuissimas?
N on sat tibi Lestrigones, gens horrida,
Qui proximas oras tenent.
N on sat timendæ Formiæ? non sat dea,
Quæ mutat homines in feras?

Cum quis tibi res semper est, bellumq; atrox,
Odiumq; inexpiabile.
Quid exteros quæris, tibi si sat domi est,
Quis cum manum usq; conseras?
Sat gloriæ partum Gniphe, & sat posteris
Consultum. I, & istas mittito
Bullas inanes gloriæ, quæ agunt senem
Irarum in æstus asperos.
Secessus est tibi, patria, dulcissimus,
Suessa suauis. hic tuæ
Sint deliciæ, hic tu lacessas quos uelis,
Fidelibus credens libris.
Nec te immodestum suspicer, cur suspicer,
Si hic luditur ludus tibi?
Nempe haud leguntur, sunt quæ inepte condita,
Condita uel nullo sale,
Et nec leguntur praua scripta, & impia,
Damnanda cum precibus malis.
At candida tua, & ut fuisti candidus,
Post fata candidi legent,
Nec inuidebit quispiam. luctabitur
Cum mortuo nemo bonus.
Tibi uoluptas hæc erit quam maxima,
Sperare de te quam optime.

In Lupercalibus.

Loripedis mensis tetricæ uenêre calendæ,
Nudus Lupercus Februo.

Authorem rerum mecum uenerabere Pana,
Qui haec sacra cunq; uisitas.
Sat superis impensum operae, sua sacra reposcunt
Et dij inferi solennia.
Expectantq; animae, quis non sunt iusta soluta,
Cis quae stygis ripam strepunt.
Auferte ex aris agedum simulachra deorum,
Pateantq; templa manibus.
Afferte huc latices puro de flumine puros,
Fer pineam uirgam puer.
Parcite nunc linguis, uotis precibusq; fauete
Matres pudicae, & uirgines.
Stat canis in uiridi mactandus cespite. Faune
Tibi litare nos sine.
Italides matres miserae tot stragibus, istis
Post temperandum lachrymis,
Spargite nunc largos fletus. stant funera uestra
Vos circum, & expiari auent.
His epulae o matres, & uerba suprema feruntor,
Caedes piantor pignorum
Vestrorum matres, uotis diuosq; precemur,
Sit caedibus tandem modus.
Interea seorsumq; uiro tu nupta cubato,
Te & nubilis ne comito.
Nanq; parentandum est, neq; amant feralia comptas.
Ades Lycaee Pan, ades.

Diua Maria marmorea.

Nata, soror, coniux, eadem genitrixq; tonantis
Sum Maria, insigne est & mihi uirginitas.
Coritij studio poßum si ita pulchra uideri,
Qualem me in gremio creditis esse patris?

Ad Cæcilianum.

Quum das, nemo est qui accipiat, dat nemo petenti.
Quod grauius damnum Cæciliane putas?

Ad Lenium.

Siquis te aspiciat Leni, nil toruius, at si
Inspiciat, nil te lenius esse putet.

Ad Lucium.

Promisti mihi sæpe multa Luci,
Dedisti nihil. est, quia ipse nosti
Nil dare, accipere assuetus usq;.

De Leone X. Pont. Max.

Iulius occubuit, Martis cessere tumultus,
Octauij en seclum redit.
Quis fortem a bello credat cessare leonem?
At hoc negabunt barbari.

Ecloga. Vrsus.

Dona ferebamus Mariæ, cui in uirgine monte,
Maio mense solent pastores uota quotannis
Soluere, nam oramus pro nobis, pro grege nostro,
Supplicibus uotis, pro fruge & fructibus hornis.
Ianus erat mecum, quo non præstantior alter
Ducere seu choreas, seu doctos dicere uersus.

Iamq; iter ingreßi, Sebethi ad pascua læta
Liquimus Euritio nostras custode capellas.
Plurima tum cæpit Ianus narrare diserte,
Cum grege nam Calabros adijt montesq; Sabinos
Ianus, & accessit iuuenis sæpe appula ad arua.
Interea ambesa surrexit fronte Vesèuus.
Cernitis hunc inquit montem, illo a uertice fama est
Ructasse scopulos, flammamq;, atramq; fauillam.
Et memorabat auus meus, his regionibus olim
Vsq; a Parthenope & Cumis migrasse colonos.
Tempore forte illo, aiebat uenisse peregre
Nescio quem, mirum dictu, ausumq; fuisse
Perq; ignem & cineres, ardentem accedere montem,
At tandem perijsse, mali nec cognita causa est.
Immanis tantum Halcyoneus num efflauerit ignem?
Iamq; apparebant nobis nolana sepulchra,
Quum ecce ex arborea scæna, pulchroq; uireto
Audimus magna ingeminari uoce, Mycona,
Ilicet ad uocis sonitum conuertimus ora.
Vrsus erat iuuenis prisca de gente deorum.
Quem puerum docui calamos inflare canoros.
Vnde Mycon optate inquit, quo care magister
Tam pede festino, atq; ocreis quassantibus alta
Virgulta & dumos? petijtq; amplexibus, & me
Cum socijs iußit cæsa considere in ulmo.
Nulla hinc uos ratio absoluat, mox irruit albæ
In gremium nymphæ. mihi sola hæc cura Merine est,

Dixit, & admouit nymphæ pressa oscula labris.
Care Mycon optatus ades nostris hymenæis.
Dum loquitur, puero adnutauit, fulua catinis
Vina infunduntur, fuluum potauimus aurum.
Nescio quæ prius alba ac dulcia crusta dedere.
Poti, sermones dulces incepimus, inter
Hæc, fulua chlamyde spectandus sarnius heros
Fertur, equo celsus, redimitus tempora quercu,
Et numerum impleuit procerum, cœtumq; hilarauit.
Omnia pastorum, nympharumq; omnia plena.
Sarnius incepit. Quando bona fata Mycona
Miserunt nobis, oremus, carmina cantet,
Quis olim uicit Lycidam, qui e montibus oscis
Huc uenit, cantu, & calamis certare paratus.
Hic ego, nam hirsuto pendebat fistula collo,
Non opus est pueri, precibus, gestire uidetis
Præ me lætitia, atq; auxit mea gaudia Iacchus.
Audite, & nostrum penitus cognoscite carmen.
Plus solito incaluit quondam Polyphemus amore,
Illo sæpe die Galatea fefellerat, undis
Se totam exertans, risuq; ad gaudia amantem
Inuitans, ridente illa, ridebat olympus.
At liquidum pectus Polyphemi, tabe fluebat.
Quum tandem fugiens pelagi se gurgite mersit,
Et suspirantem media spe liquit amantem.
His sequitur pastor fugientem uocibus ardens,
Immo hæc infelix iactabat inanibus auris.

Heu Galatea fugis, Galatea fugis, mea uita
Cur Galatea fugis? saltem hæc tibi munera donem,
Munera iamprudem tibi quæ seruata ferebam.
Heu fugit, immitis ponto atq; immitior euris.
Aspice, contemnit quæ munera. sæpe Melenis
Conata est pulchra has pulchras abducere uulpes,
Et demum abducet. Speo facere omnia prompta,
Quid non experta est lepido hoc pro turture? in ore
Pascitur, inq; manu, & cantu uel acanthida uincit.
O quoties Galatea tibi de lacte recenti
Caseus est factus, dura es, induruit ille.
O quoties Galatea tibi seruauimus hœdos,
Creuerunt hœdi, creuit mihi flamma medullis.
An quia sim pauper spernis me nympha? quis unquam
Tam diues pecoris, tam pinguis casei abundans.
An quia sim turpis? nuper me in littore uidi,
Dum mare marmoreum turbarent flamina nulla.
Non barba hæc pulchra est, ciliúq; hoc? nõ ita pulchro
Vere nitent uirides prolixo gramine rupes.
Hoc oculo, solis nitido cum sydere certo.
Dixit, & ut grando canis in montibus æstu
Liquitur infelix, & cæco absumitur igni.
Omnes plausere, & me floribus inspersere.
Vrsus ad hæc, mi care Mycon Cabanilij amicrum
Nunquid habes? lepido cantat Cabanilius ore.
Quid ni habeo? referamq; libens, compescite murmur.
Hæc nuper cecinit muscosi Sabbati ad undas.

Quum fera uis belli me tristia ad arma coegit,
Deseruiq; greges,& *te mea gaudia* Dori,
Quas tu per syluas Dori,*perq; antra querelas*
Iactabas,metuens essem ne oblitus amoris?
Atq; etiam syluæ referunt,atq; antra querelas.
Vos caper ascendet,moneo,reticete capellæ.
Contra,ego deformis brumæ uentosq;,niuesq;,
Atq; animo forti soles,æstusq; ferebam.
Sed non fortis eram,quum te mea uita relictam
Dori *recordabar,at nunquam pectore abibas,*
Quanuis Coritius *me solaretur amantem,*
Coritius,*musæ,&* *pulcher quem laudat* Apollo.
Illa adeo angebant,ne te dolor & *mala cura*
Conficeret.tibi strumoso a Phorco *metuebam,*
Ne forte opprimeret per te nemora alta uagantem.
An de te uerear? memini quam dura fuisti,
Nos quum primus amor,primus nos ignis habebat.
Tunc ego per densas syluas te sæpe uocabam,
Impatiens flammæ,nitidiq; Caloris *ad undas*
Dorida per salices,ut nunc submurmuret amnis,
Dorida ut ingeminent rupes,& Dorida *ualles,*
Dorida Ceruauri *responsent,&* *procul antra.*
Vos caper ascendet,moneo,reticete capellæ.
At prius haud ulli nascentur in æquore pisces,
Nec respondebunt nostris resona antra querelis,
Nec rauco hiberni cantabunt gutture corui,
Nec liquido æstiuæ cantabunt ore cicadæ.

Quam mea lux, moriens tanti sim oblitus amoris.
At, caper ascendit, dixi, reticete capellæ.
Hic surrexerunt proceres, carmenq; probarunt.
Aspice amice Mycon, longam iacit hæc Pyrus umbrã,
Vrsus ait, nobiscum igitur maneatis oportet,
Cras cum sole ite, & pro cantu munera ferte.
Dicite Pierides post dulcia uina, calentes
Quot surrexere e mensa, fusiq; per herbam
Stertentes noctem duxerunt dulciter illam.

Ecloga Coritius.

Fœnius. Peridon. Coritius.

Fœn. *Fallor ego, an uidi nuper te ad pascua Physi*
Cum uitulis Peridon? ouium pecus estne Philetæ?
Per. *Non est, sed Tyberi. dominis armenta reliqui*
Macrio Agathoni, & Borgiæ Heroine.
Non onus est humeri nostri curare iuuencos,
Taurosq, & fœtas, lactantiq; ubere uaccas.
Hæ curæ a placidis mentem auertere camœnis.
Fœn. *Non ideo effugies Peridon, te fama celebrem*
Si facit, hic hodie mecum experiare necesse est.
Per. *Respice, Coritium uideo ad nos currere. non ne*
Hic est Coritius, quem aiunt de gente laconum
Venisse, atq; gregem pauisse ad prata Galesi?
Fœn. *Coritius certe est, Cydno & pulchra Olmide natus,*
Et Iouis insigni nymphis nutritus in antro.
Intonsus puero mittebat Tmolus odores.
Per. *Non ergo œbalius? me captas o bone Fœni?*

Cor. *Quis diuum hac hodie gelida uos ualle coegit?*
Huic ego, si sciero, faciam agnum de grege nostro.
Saluete egregij iuuenes. Quo tempore nobis
Hospes amyclæus pateram tulit. estq; Myronis
Prisci opus, aspicitis manibus pueri, improba cornix
Panem subripuit, donec studet ille locustas
Saltantes capere, aspicitis satyrum admirantem?
Effigiem uiuam credas, buxumq; moueri.
In medio hanc pono, uictori hæc premia sunto.
Iampridem cupio quid cantu possit uterq;
Audire, & mulcent auræ, syluæq; comantes
Increpitant, dulci fluit Acsaris unda susurro,
Sol uetat hinc alio, uestrasq; errare capellas.
Fœn. *At modo commonui, nunc te præsente lacesso,*
Nescio quid torue, ac nimium respondit acerbe.
Cor. *Non opus est te circum agas, cantare necesse est.*
Sic Venus imperat, & charitũ chorus, ipse & Apollo.
Si quid tristitiæ est, soluemus uota camœnis.
Causa animi id Peridon sit, non rhegynus Aristo
Locrensem Eunomon aduersus descendit in æquor.
Dumq; canunt, alti flexere cacumina pini.
Statq; etiam statua Eunomo, insignisq; cicada,
Successit fide diffracta, cum uoce cicada.
Pœna fuit uicto mors, a uictore superbo.
Per. *Quando ita iussistis, sunt & tot premia laudis,*
Nil moror, incipio, tu Fœni alterna parato.
Quæ colitis montes nymphæ, nemorumq; recessus

Aspirate meis, diuæ nunc uersibus, oro.
Fœn. *Audi Bacche pater, faciles audite camœnæ,*
Si uestri non parua tenet uos cura poetæ.
Per. *Scit Sybaris, nostræq; adeo obstupuere iuuencæ,*
Quum mihi cantanti affulsit lux aurea cœlo.
Fœn. *Carmina dum meditor calamis, mirabile uisu,*
Ecce caput circum uirides creuere corymbi.
Per. *Montibus o nostris quercus orniq; loquantur,*
Syluia te referant colles, te Syluia ualles.
Fœn. *Sic iussit Myrtis, nostra illa ut furta laterent,*
Vos nostis syluæ, quæ scripsi in cortice fagi.
Per. *Cur nota est canibus nostris mea syluia, nocte*
Seu luce illa uenit, magnus mihi dicat Apollo.
Fœn. *Myrtidi non pater, & non esset iniqua nouerca,*
Non latere illa meo latum discederet unguem.
Per. *Syluia amat musas, auro non carmina mutet*
Syluia, dum canimus, hirti saltant satyrisci.
Fœn. *Si quando in latebra filiceti Myrtis amata*
Me modulante canit, diuos ab ducit olympo.
Per. *Fraga tibi rubra castaneæ in cortice legi*
Syluia, cras curæ est boletos ferre tenellos.
Fœn. *Dic mea Myrti, quid est tibi gratius? an tibi plenum*
Mane feram lactis sinum, an par turturis albi?
Per. *Hanc modo purpureis uiolis, croceisq; genistis,*
Et scio cui donem, contexi in monte corollam.
Fœn. *Serta meæ ueneri prohibet quia ferre nouerca,*
Aspice, quotidie tuo in antro cynthia pendent.

Per. *Lentos fiscellis iuncos in monte paraui,*
Sex hodie texam, tremulo cras lacte replebo.
Fœn. *Tris calathos emi a Clytia de uimine flauo,*
Puniceo affabre intertexto, ordine miro.
Per. *Serpillum, redolensq; thymum tu suggere Apollo,*
Iupiter ac pluuius cœlo descende benigno.
Fœn. *Si pluuiæ desint, fœcundo gramina rore*
Turgescant mane, & gemmas imitentur eoas.
Per. *Siue ouium mandata mihi, seu cura caprarum,*
Phœbe tibi facio, quoniam olim tu quoq; pastor.
Fœn. *Pan pater æstatemq; grauem, sydusq; malignum,*
Vrentemq; hyemem nostris defende capellis.
Per. *Pan pater a rabie nostros tutare luporum*
Agnos, nostra tibi sint semper ouilia curæ.
Fœn. *Pan pater a scabie nostros tutare maligna*
Hædos, Panq; tibi sint nostra hœdilia curæ.
Per. *Ante alias omnes mihi Glaucia amata iuuenca est,*
Illi hederam legi teneram, arbuteosq; maniplos.
Fœn. *Leucidi cornipetæ, dum tondent prata capellæ,*
E dulci casia legi, cytisoq; maniplos.
Per. *Dicite uos pueri carmen, dum incisa lacertæ*
Cauda salit, nam ideo languet nunc pulcher Amillus.
Fœn. *Noui ego quinquetra morbos depellere ruta,*
Intrepidusq; lego filicem sub sydere cancri.
Per. *Dic mihi, quæ regio in terris, quæ tam aurea tellus,*
Gens hominum solo felix ubi uiuit odore?
Fœn. *Dic mihi, quæ regio in terris, quo posta sub axe,*

Gens ubi quadrupedum impletur pernicibus auris?

Per. *Dic ubi terrarum uidisti cornua dextra,*
Aut quare cerui condant tellure sub ima?

Fœn. *Dic ubi terrarum eniti conspexeris ursam,*
Quidue sibi hoc tantum uoluit natura tegendo?

Per. *Quidnam turget tractando, exercetq; puellas?*
Hoc mihi si soluis, mora nulla, hanc accipe pellem.

Fœn. *Quidnam pendet, molle femur tunditq; puellis?*
Hoc mihi si soluis, mora nulla, hanc accipe peram.

Per. *Quum uenio noctu ad te mea uita Lycori,*
Mande, oro, uiscum, capiat ne somnus ocellos.

Fœn. *Quum uenio noctu ad te mea uita Sisymbri,*
E sambuco offam canibus cum carmine condi.

Per. *Quid faciam, ne mane nouo ruditus aselli*
Officiat, quum Taurus apricat floriferum uer?

Fœn. *Quid faciam, ne syluiuagi uox rauca cuculi*
Officiat, linquit croceum quum aurora cubile?

Per. *Aspice, aquantur apes, an dura in prælia surgunt?*
Aspice, rex aciem struit alis pulcher & auro.

Fœn. *Aspice, post tergum, totum consedit ut agmen.*
Victus es o Peridon, uestro uel aruspice Mopso.

Per. *Rumperis o Fœni, excruciant te carmina nostra,*
Rumperis o Fœni, excantata ut rumpitur aspis.

Fœn. *Rumperis o Peridon. pereat ne prorsus amicus,*
I puer, e fluuio affer conseruam Peridoni.

Per. *Ad rupes agni, ad rupes? non ne improba Flora*
Impiaq; es mater? quanto in discrimine credis

Præruptis ſcopulis natos, & rupibus altis.

Per. *Ad uites iterum? ſpernis mea uerba Rubella?*
O prope nunc eſſem, hocq; pedo mea uerbera ferres.
Ad uites iterum, ad uites? eia improba capra.

Cor. *Par iuuenum præſtans, o Daphnide iudice digni*
Pergite, non hæc ſunt Alconis carmina. mille
Carmina ſæpe facit bonus Alcon ſtans pede in uno.
Paſtores ſemper celebrabunt ueſtra. feretis
Poſt ſiculum uatem laudes & dona ſecunda.
Eſt felix Tyberus, ſi ſæpe ad prata Malimni
Cantantem Peridona audit, ſeu propter Amatum,
Seu propter Sagram, aut Neæthum propter amœnũ,
Te grege donabit Peridon, clariſſimus heros,
Atq; dabit, montes æſtatem paſcere opacos.
Ad mare deſcendes hyberno tempore apricum.
Sume ergo hanc pateram, noſtri ſit pignus amoris.
Tu nobis Fœni non indonatus abibis,
Fiſtula nanq; domi eſt una mihi plurima folle,
Hanc dono accipito, magnum te iudice munus.

LIBER SEXTVS.

Ad Bernardum Sanctium.

Vnde hæc refulſit liberalitas? euge
Pater Lyæe, Phœbe lauriger gaude.
Donare certant principes uiri noſtras
Muſas honeſtis laudibus, ſupra ac laudes

Donis honestis. rara decora corrupti
Secli da Apollo euindicare lethargo.
Amice Sancti melius in dies spera.
Mea charta anus nepotibus celebrabit
Exemplum, ut æmuletur insequens ætas.
Miselli auari hoc uos carebitis fructu.

Ad Dorin Cabanilij.

Dori sic dura es, nimiumq; sæua?
Semper antiquus renouatur ignis,
Semper antiquum renouatur ulcus
Pectore nostri
Conditum cæco Cabanili amore.
Qui latet, multo magis urit ignis.
Fomite e sicco trahit orta flamma in-
Cendia late.
Obuiam primis miseri ite flammis,
Nam sinu si alta est mala blandiendo
Aspis, insultet domino, tremenda
Sibila tollens.
Dori ni stulta es, nimis atq; inepta,
Vre Traianum leuiore flamma,
Qui queat docto lepidoq; uersu
Dicere amores.
Omne Ceruauri latus ac crepido,
Ripaq; omnis cornigeri Caloris,
Dorida insignem resonet, futura &
Te sciat ætas.

In Tusculum.

O Tusculum, fatale erit semper tibi
Pro parricidium, ex quo ulyßeum genus
Ex matre Circe, condidit tua mœnia?
Cæde heu paterna fœda condidit manus.
Non ira non mens impia Gulielmi fuit,
Vt in parentis dexteram armarit necem,
Tua culpa Tusculum, improbum ob fatum tuum.
Nam quis deorum Telegoni atrocem manum
Direxit in patrem, ut tot orirentur mala?

Ad Leonem Pont. Max.

Nunquam Leonis uis animosior,
Quam quum maligno cogitur in loco,
Cingente uenantum corona
Omne latus nemoris profundi.
Exire tendit, fertur & impetu
Inq; arma & hostes. non patet exitus,
Retro se agit, nullum timoris
Fronsq; refert generosa signum.
Virtus duorum non aliter ducum
Fulsit modo, alter pro Padua sedens
Persæpe uallum fregit, hosti
Incutiens gelidum timorem.
Est ausus alter dux, uenetum loca
Munita natura, ac ualida manu
Perrumpere armis, ui per hostes
Facta uia est gladijs coruscis.

Neptunia o urbs inclyta, Apollini
Non credidisses, hic tibi si antea
Hæc nuntiasset. littora illa
Aurea pressit Iberus hostis.
Iræ sat indultum. ite duces pari
Audacia ad Carras. rutilæ o crucis
Vexilla quando iam explicari
Aspiciam auspicijs Leonis?

Ad Pompeium Columnam.

Istos, qui tepidam rigente bruma,
Et uinum tepidum bibunt, Orestes
Sint licet mihi, sintq; Scipiones,
Odi, ceu Raphanum benigna uitis,
Odi, non uitium meum tacebo,
Sunt molles nimis atq; delicati.
At nos rusticuli, nimisq; agrestes
Pompei gelidam bibamus, ipsa
Quum flat threicia ac niualis aura.
Atq; ut frigidius bibamus æquo,
Appensæ, madidæ, uuidæ in sereno
Seruabunt laticem hydriæ rigentem.

Ad Michaelem Angelum.

Parrhasij o possent, Zeusesq; resumere uitam
Tantum peniculo qui peperere decus,
Angelo uti palmam concederet ipsa uetustas.
Illi artus uiuos, exprimit hic animos.

In Melium.

Quum semper studijs uaces disertis,
Cur Meli eloquio uacas diserto?
Næ tu obtusa adeo es Meli Minerua.

De morte Gulielmi Tutauillæ.

O Sarne quondam ocelle fluminum, quum te
Ornabat heros ille, quem modo in flore
Primo iuuentæ mater abstulit Roma,
Fleruntq; nymphæ tusculæ, & Tyberis atro
Fœdans cinere canum caput etiam mœret.
O Sarne, quoties te illa in aspera pugna
Vocauit heros, ambigit tamen nemo,
Si tu adfuisses, non Scamander ad Troiam
Tot in figuris Hectori fuit præsto
Contra ferocem thessalum Thetide natum.
Desideras nunc Sarne raptum, & admugis,
Veluti assolet mater uitulo aberranti.
Respondet heu nusquam, comiti ut Hylas forti,
Per omnia aspera & inuia loca clamatus.
Testantur arduæ situ obsitæ rupes
Tuum dolorem, & murmur alueus triste
Edens, amœno qui susurro ad exustas
Plantas Vesei deferebat argenteam
Vndam, nec alto piscibus minus gratam.
Cur non dolebis Sarne? nam cui umbellam
Nunc lassulo explicabis aurea e ripa,
Siue aucupium lassauerit, leuis siue

Ceruus per altos traxerit uagum montes?
Cui puluerem tua ore lympha deterget?
Heu ille, ceu flos dente morsus hesterno
Hœdi petulci, aut inuido ab oculo captus
Humi iacet de uulnere horrido mortis,
Quæ absumit omnia falce demetens sæua.

Ad diuum Hieronymum.

H *eroa magnum dum canimus deæ*
Vobis amicum, si officit auribus
Doctis ineptum, musæ adeste,
T*uq;* Hieronyme *ades canenti.*

F *abella prisca est, Orphea thracium*
Syluas sequutas, interim & alites
Audisse dementis, & amnes
Præcipites tenuisse cursus.

E*st diue de te fama recentior,*
Testantur antra, & torrida solaq;
Palmeta Idumes*, obstupebant*
Obsequio facilem leonem.

H *æc uera sunt miracula.* At *obsecro,*
Quis cantus, aut quæ consona barbitos
Mouit feras, immo superne
Exciit ætherias phalanges?

D *um liberatorem precibus uocas*
In uota Christum, feruida pectora
Plectro retundebas iniquo.
Harmonia hæc erat illa dulcis.

Hinc mox recepto digrediens, deo,
Diuina promis Mnemosynæ sacrans.
Quartum magistrum te disertum
Petri habet ac ueneratur ordo.
Quis credat illa de latebra, ac specu
Exisse claros tot radios, quibus
Non sol magis splendet, nec astrum
Sic Iouis aut Veneris coruscat?
Quos diue priscos, quem tibi comparem
Vel Socratem, uel Pythagoram grauem?
Multorum es unus pro salute
Qui omnia per grauia excubares.
Te maior ipso, corporis improbas
Calcasti opes & frigoris & famis
Securus. hinc illæ beatæ
Diuitiæ patuere olympi.

In Annonæ caritate.

Ah qua deum ira, quo scelere mortalium
Factum est, ut illa læta sic fefellerint
Nos arua? sic mentita sit bonam seges
Spem? num ne cessatum ab statis sacrificijs?
Num quid neglectum? nunquid erratum in deos
Dira hostia, uel uite tacta fulmine?
Autunnus audacem sonipedem habuit suum,
Et rufa rite Sirio facta est canis,
Robigini cererique; soluimus preces.
Quantum sciamus, nil uolentes liquimus.

Docete uos dij, si quid inscij omisimus,
Vos obsecramus. interim solabimur
Sylua heu famem. quæ uita mortales manet,
Egens, futuri incerta, semper pendula.
Nos Tantali, nos Sisyphi, miseri sumus.

Ad Violanthin.

Ne me, ne Violanthi sic adure
Istis igniculis, tuis ocellis.
Parce parce ferire tot sagittis,
Quas crebro iacis igneis ocellis,
Vel si uirgineus timor pudorq;,
Vel si fecerit ira pulchriores.
Quod si in ore aderit beatus ille
Subrisus, mare temperat qui & auras,
Pro superna Venus, feruntur illæ
In præcordia, sauciantq; pectus.
Sed o quid fatuus precorq; & opto?
Quin cæcus fieri ipse, si potis sim,
Rebus in reliquis uelim libenter,
Vnam te aspiciam modo. es Diana,
Es sol, es reliqua astra, tu mihi una.
Vre me Violanthi, torre, & ure.

Ad Ianum Baianum.

Semper dolebis? lachrymis erit modus
Tandem miserrime omnium mortalium?
Quin cor resumis, quod modo abstulit tibi
Venus scelesta, & ille perditus puer.

Nam dirus anguis quum medullam ſubſilit,
Et blandiendo dulce nutritum eſt malum,
Tum porrige herbam, dicta iam tibi eſt dies.
Quare prius, quam ſole medio te nigræ
Agant tenebræ, pertinax iugum excute
Baiane, fortis ac tibi te uindica.

Ad Ferrantium Conſagam.

Quod per laborem, perq; uirtutem tibi
Laudem paraſti, ſemper & ſtudes idem,
Nec tempore ullo deficit animus probus,
Quin cogitet quæ magnifica, quæq; alta ſunt,
Mox cogitata quod celerrime expedis
Conſaga, quis te laude in aſtra non ferat?
Et delicatæ quod uoluptati diem
Dixti, miſellos luxui iſtos deditos
Ducens, olenti ut oblitos luto ſues,
Idq; in iuuenta, hoc ſeculo impuriſſimo,
Quis Scipioni prædicet non te parem?
Sic eſt profecto. priſcus eſt ſermo uirum.
Si per laborem quid bene eſt factum, labor
Cito recedit, quod bene eſt factum, manet.
At quæ uoluptas ſuaſit, æterna hæc nota
Hærent, uoluptas aufugit, amarum ſerens
Cordis dolorem, ac pœnitentiam ſui.
Optabat ille plurimum nequam gruis
Collum, uel habeat aut cameli, aut qui mare
Typhonis uno abſorptu in os ingurgitat.

Quid tum? uoluptas propterea abibit minus?
Quis non nepotes damnet istos, & nigro
Stilum ueneno non obarmet oblitum?
Quis laude contra fraudet Herculem sua,
Priscos & heroas? labore qui ardua
Quaeq; superarunt, monstra, tollentes manu,
Virtute, ui animi, cuncta subigentes mala.
Virtute coelum aditur e terra uiris,
Despectus altus unde terrarum patet,
Et uile quantum sit quod homines tantum auent,
Quod caede tristi & strage mutant corporum,
Nec inuenit habendi modum impotens sitis.

Ad Nerienem Martis.

Vxor magnanimi Nerio pulcherrima Martis,
Ad nos ocellum uerte propitium dea,
Tristia sunt quanquam spectacula. nos sumus illae
Matres in orbem eductae iniquo sydere,
Illae infelices matres, tot pignora bello
Quae amisimus. deflentq; miserae hae uirgines,
Pectora quae tundunt dispesso crine, parentes,
Illae, maritos, quae ora lirant unguibus.
Et si fas oculos foedo corrumpere uisu,
Cadauerum plena omnia ut squalent, uides,
Obscoenaeq; ut aues discerpunt uiscera nostra.
Quid? dij statuerunt perdere humanum genus?
Sic in te tanta eniteat charis, & uenus omnis,
Vt seu redeuntem caede thracia ferum,

Seu quum perfurit alterius succensus amore,
Tuum gradiuum in gratiam adducas tuam
Mansuetum blãdumq; magis, quam quum mare nullis
Mouetur auris, littus & uix alluit.
Mauortem aggredere precibusq;, & flecte rogando,
Vt parcat ultra perdere humanum genus,
Aut saltem sinat exhaustum repararier orbem,
Omnis mulierum te chorus Nerio *obsecrat.*
Vxor magnanimi Nerio *pulcherrima Martis*
Ad nos ocellum uerte propitium dea.

Ad Ant. Seuerinum.

Sic te dij bene ament, beentq; semper
Seuerine, mihi grauem mephitim,
Quæ se naribus obtulit maligne,
Vnguentis pepulisti odore suaui,
Quæ semper redoles, ut esse totos
Se nasos homines uelint libenter,
Qui hærent seplasiæ tuæ fragranti.
At istis male sit malis Cinædis,
Qui infamem uitio, suaq; culpa,
Rem bellam, faciunt, deumq; munus.

Ad Fabium.

Qui modo eras Fabius, *nunc es tu* Lælius, *iste*
A te sic nunquam Scipio amicus abest.
Sed quod conueniat tibi nomen, scire laboro,
Quum podagræ adueniet dura chiragra comes.

In Tumulo Barthymei Liuiani.

Nulla mora est, sequimur, quo dextera fata uocatis.
Fortunæ abducor tristibus insidijs.
Reddidimus matri corpus, sed fama superstes
Ingentem tulit ad sydera Liuiaden.

In anno intercalari.

Venisti bona Terminaliorum
Lætis cum radijs nitentis astri
Lux, leues timuere quam puellæ,
Dum narrant auiæ meticulosis
Diras nescio quas minas deorum,
Quæ formidine compleant uel ipsam
Alcmenæ sobolem, Gradiuum & ipsum.
Salue lux bona Terminaliorum,
Cœpitq; ut bene Iulianus annus,
Sic pergat, uetulas & ominosas
Mendacij arguat atq; uanitatis.

Ad Fed. & Tyb. Carraf.

Tentabam cithara dicere Tyndari
Claram progeniem, principio latens
Eurotæ sub aui Iupiter incola,
Quis Ledæ arserit ignibus.
Dein quantam Gemini peliacæ rati
Virtutem addiderint. Thesea nobili
Quo furto spoliarint, iuuenem inscium
Vinci, illam usq; adeo ad diem,
Quis armis amicum compulerint mori.

Quæ dura Oebalidæ prælia obiuerint
Ob prædam oleniam. deniq; partibus
Quis cœli extulerit pater.

A *t quum me* Federici Tyberijq; *amor*
Insignis subijt, quo teneor pari
Nexu, *pace deum, pectore, dixerim,*
Excessere Dioscori.

C *œlestes ueniam nunc pietas pios*
Poscit, *si anteculi cœlicolis deis*
Mortales *iuuenes. dixi alias deos,*
Dicamq; *altisona lyra.*

Q *uin uirtus homines persimiles deis*
Reddit, *hanc studeo tollere carmine,*
Dij *proferte dies, res celebres canam*
Gestas *militiæ & domi.*

A *uestra incipiam* Rege *puertia*
Sub illo egregijs laudibus inclyto
Acta, *hæc dum reputo, continuo in genas*
Humentes *lachrymæ fluunt.*

T *antum illa heu superi commeruit domus?*
Num *natos epulis apposuit patri?*
Immo *non alibi tantaq; sanctitas*
Morum, *ac relligio fuit.*

I *ncautum illæ aquilæ Cypridos alitem*
Inuasere, *nihilq; heu puduit. simul*
Nos *desiderium uitaq; deseret.*
At *malos deus inuenit.*

N ulla iniuria fit perpetuum bonis.
Mœrori & lachrymis iam dedimus satis.
Cœpta eia iuuenes pergite uos uia,
Hæc merces operæ unica,
M agistri hoc pretium est, qui docuit bene
V ti diuitijs atq; animi bonis.
V os natis iuuenes tradite per manus
V irtutum decora inclyta.

Ad eosdem.

O me felicem, cui urbis duo lumina nostræ
Omine felici iunxit amicitia.
E s felix Tyberi, *es* Federice, *ego sum quoq; felix,*
Dulcia quos saturant pocula Tantalea.

De Ferrando Arag. Rege Hisp.

Q ualis, quantus erat Ferrandus, *turbida nostra*
Leuaq; mens uiuum noscere non potuit.
D ij facite, ut nunquam doceat R*hamnusia, quantum*
Regem amiserimus, quem patriæq; patrem.

Ad Carlum Cæsarem.

N atura rerum disposuit uices
Mira arte mater sedula & optima,
Aestate sol terras adurit,
Bruma gelu riget & pruina.
S uccedit atris lux tenebris die,
Tristi senectæ læta puertia,
Partes retundunt se uicissim.
De ueteri noua suscitatur.

In se ipsa par est perpetuo parens,
Vnquam nec hilum deperit illius.
Concentus hic rerum manebit,
Dum maria Oceanus refundet.
Res inter has, & cœlicolas deos
Hic dum moramur, nos medij sumus,
Brutæ se humi corpus uolutat,
Cœlum animus patriam requirit.
Sublime nobis non temere est caput.
Ille ille felix cui ratio præest.
Seruire natis sola rebus
Hæc facile docet imperare.
Ast quem uoluptas delicijs tenet,
Hic iura centum det populis licet,
Seruit profecto seruitutem
Perpetuam dominæ impudicæ.
Pinxere fortunam ingenia attica
Patri Cononis peruigilem duci
Cum rete, tuto dormienti,
Prælia qui bene cuncta obiret.
Augustus, orbem quod tenuit diu
In pace, templum nec patuit dei
Bifrontis, est felix putatus,
Morte obita meruitq; thura.
Quid prisca ineptus nunc repeto? hæc modo
Fulsere Ferrando omnia auo tuo,
Quem nobilem belli domiq;

Sol orienſq; cadenſq; uidit.

E xemplum habes inſigne, quod æmula
Virtute pergis Carle imitarier.
Hic ſæpe te ſomno excitabit
Laudis amor, ſtimuluſq; punget.

T antum ſat humeris ſuſtinuit ſuis
Faſcem, piorum iamq; adijt loca.
Succede proles clara regum
Nunc oneri, uicibuſq; pulchris.

E xcinde uaſtam fortior Hercules
Lernam malorum, quæ capita explicat.
Haſtam recepit dia uirgo,
Exitiumq; minatur orbi.

H unc Pana uerte, ac terribiles minas,
Diros in hoſtes, qui Solymos premunt.
Et uos, poteſtis ferre reges?
Terra adeo ac pelago laceſſunt.

F atale iberis regibus eſt, duci
Erepta craſſo ſigna repoſcere
Parthos feroces, inq; ſancta
Vrbe crucem erigere. hunc triumphum

Dent dij uidere, hic Calliope mea
Sublime plectro perſonet aureo,
Et me trientes inter amplos
Bacchus agat celebrare reges.

Ad Hieronymum Borgium.

Si forte quos communis erumna ac malum

Graui dolore, pectore ex alto premit,
Se se inter obuiam tuerint, statim subit
Horrenda imago, uulnera infligens noua,
Cedens flagello centicuspide, æneo.
Cadunt solo oculi, & faucibus uox hæsitat.
Nos Liuiano, pro dolor, duce ac patre
Amisso, idem silentium tenuit diu.
Heu mors, breui hora, quæ tot obteris bona.
At quando ab Orco Hericius *retulit pedem,*
Soluta crines Parthenope *olympium*
Summum Iouem exorauit, estq; redditus
Nobis amicis. euge Borgi, *euge, asperum*
Remitte luctum, cumq; Seripando *&* Poo *&*
Romanæ alijs academiæ magnis uiris
Age hunc diem festum, celebrandum annuis
Sacris. Iaccho *perlui liceat, cados*
Omnes relinito Fabrici, *eia,* Bacche *io.*

Epith. Matris.

Charmosyne, quo mater abis, suauissima mater?
Natos heu linquens tristibus in lachrymis.
Sola relicta domus, nam tu custodia fida
Mater eras, firmum præsidiumq; domus.
Illud solatur, tua quod sanctissima uita
Molle tibi extrema in morte parauit iter.

Ad Fabricium Campaninum.

Vidimus cunas orientis anni,
Molle quum terris caput explicarent

Semina, & lætis faciem uirentem
Surgere campis.
Pulchra mox pubes, ualida ac iuuentus
Creuit, ornabant nitidis puellæ
Floribus crinem, grauidæ replebant
Horrea fruges.
Vitibus uirgo redimita uenit,
Musta feruebant lacubus per agros,
Bacche clamabant prece non pudica,
Atq; per urbem.
Bruma nunc rerum seniumq;, morsq;
Obstrepit, miscens maria atq; terras
Flamine & nimbo; tonitruq; crebro
Pectora terret.
Fabrici, si nos, animiq; nostri
Noscimus uires, potimurq; mente
Cœlitus missa, hominumq; pestis
Desidia absit,
Perfurit quanto magis aspra bruma,
Tanto ab inscitia magis amouemur,
Mater est quando studiorum & altrix
Sedula bruma.

De Cardone Præside.

Quod facie squalet, quod spinis carduus horret,
Nil formidandum est, hunc lepide hospes adi.
Mitibus est mitis, fructuq; & flore iuuabit,
Lædere si est animus, te moneo, hospes abi.

Ad Pyrrham.

Quum sitio, mellita mihi tu basia si das
Pyrrha, sitis prorsus protinus illa fugit,
Hæc remanet, potis ab restingui tempore nullo.
Ipse, ut hydrops, imo uiscere crescit amor.

Ad eandem.

Si roseis digitis calicem mihi Pyrrha propinas
Non sine basiolo, seu mage basiolis,
Potabo simul, & simul oscula dulcia carpam,
Dijs ipsis superis inuidiam faciens.

Ad eandem.

Si quando aspicio te Pyrrha, quot Argus habebat
Lumina, tot toto corpore mi esse uelim,
Vt pars nulla esset, quæ te non cerneret, inde
Vt felix diuum gaudia conciperem.
Amplexus inter, & suauia Polypus o sim,
Centeno ut suctu totam animam relegam.
Quum uero attrecto, Briarei non brachia centum
Sint satis. haud possum dicere, quæ cupio.
Singula sed uellem membris confundere membra,
Atq; unum e gemino corpore conficere.

Ad Alpheum.

O Alphee, utinam istud esset aurum
Terræ uisceribus parentis imis
Reuinctum laqueo tenaciori,
Quod ducit miseros homunciones
In malum exitium, malamq; pestem,

Et quidem merito, manu ſceleſta
Auſos eripere e parentis aluo
Tantam perniciem bonæ quietis.
Immo eſſet Barathro ſub ultimo Orci
Deligatum adamantinis catenis.
Nam ſic tu, duce Apolline, aduocatis
Ad doctam choream ſubinde muſis,
Vt fulges opibus, nitenti & auro,
Fulgeres ita carmine eleganti
Ducto de gremio ſereni olympi.

Myrtus.

Pulchræ arbos Veneris, poſuit quam pulcher Adonis,
Sum uirgo, pulchra hæc munera, pulchra cape.

Ad Marinum Ianuarium.

Neſcio cui aſcribam, fato ne meo, an tibi Iane,
Quod non diſceſſit pectore uulturius,
Vulturius, quo crediderim non eſſe Promethei
Funeſtum magis in uertice Caucaſeo,
Non Tityi, tondet qui pernox, perdius exta,
His miſerum curis me Domicilla premit,
Ipſa iiſdem premitur uirgo pulcherrima. ſed quis
Huic dulci prohibet nos dare colla iugo?
Qui prohibet, nobiſcum agit inclementius ille.
De cœlo ipſe ferat Iupiter auxilium.

Ad Iacobum Sadoletum.

Caciq; Scyroneſq;, trux thracum genus,
Lycurgi & aſpra armenta Diomedis feri,

Et quicquid unquam in orbe pestium fuit,
Reducere, pro facinus, & exagitant bonos.
Heu nullus ultor, Hercules forti manu,
Adestue Theseus, magnus aut Liber pater.
O illa candida, o beata secula.
Sadolete te obsecro per hominum, ac per deum
Fidem, ne Anysium misellum ita opprimi
Sinas. Tyrannus instat, imminet, premit,
Hiante gutture, belua omni immanior.
Sadolete subueni misello Anysio.

Ad Albium.

De re Albi nostra uerbum non amplius ullum,
At forsan non uis dicere, sed facere.

Ad Antinianam.

Antiniana nihil miseri misereris amantis.
Est animus tandem perdere me miserum.
Me miserum sæua ah statuisti perdere amantem
His pœnis, quas uix Tartarus asper habet.
Tantaleis cruciatibus heu heu perdis amantem,
Sic inter lautas esurit ille dapes.
In gremio teneo, mille & das oscula, sed mi
Quum ad fructum uenio, carpere iniqua negas.

XII. *labores* Herculis.

In Nemea Alcides fregit primo ora leonis.
Centicipi monstro expurgatur Lerna secundo.
Tertio, apro extincto Erimanti sylua aperitur.
Mænaliam quarto assequitur celeri pede ceruam.

Egit aues quinto horrendas Stymphalidas arcu.
Balteum Amazonidos tulit in certamine sexto.
Septimus Augeæ cœnum labor expurgauit.
Octauo igniuomum superauit robore taurum.
Scythony uertit regis præsepia nono.
Gerionis decimo armenta impulit ex Erythea.
Cerberus undecimo canis astra micantia uidit.
Bissexto Hesperidum spoliauit uiribus hortos.

Horarium.

Si quando nubes radios Phaethontis obumbrat,
Hoc tibi tum radio tempora significo.

De Medea Iani Marliani.

Ira & amor, miseram Medeam, sæuus uterq;
Hostis agens, furijs fecerat ancipitem.
Quæ uix mens prudens potis est diuersa putare,
Hic Iani impleuit obsequiosa manus.
Cerne minas, fluctusq; animi, & nutantia corda
Aeætæ, uiuam, non lapidem esse putes,
Credideris natos confectos cæde recenti,
Et iuuenem Aemonium nunc uiolare fidem.

De eadem.

Commistam furijs pietatem, odijs & amorem
Certantem, Iani nobile marmor habet.
Ah nimis es sæuus, miseram qui Colchida cogis
Patrare hoc iterum triste ministerium.

De eadem.

Hic furere, & misereri, irasci, odisse, & amare,

Phasiacæq; uides impia facta manus.

Ad Annibalem Pignatellum.

Hortos hesperidum bono sodali,
Et quis inuideat uel ipse Adonis,
Misisti Annibal Africæ ex recessu.
Sed contra quid Anysius remittat?
Si nequit paria, at suo ex uireto
Parnasum prope consito, remittit
Paucos uersiculos & indisertos.

De amore.

Pauperies sæpe & tempus dissoluit amores,
Ni id fit, cura una atq; ultima fit laqueus.

Ad Pyrrham.

Labra meæ Pyrrhæ quoniam sunt aurea, nostra
Cur non sunt lydo Iupiter e lapide.
Scripta meis ferrem dulcissima basia labris,
Quæ damus amplexus inter amore pari.
Totq; damus, quot sunt fulgentia sydera cœli,
Et satias nullo tempore consequitur.
Iamq; prope os unum, lingua una effecta, columbi
Vt gemini, atq; hederæ nectimur ut geminæ.

Ad eandem.

Te mea Pyrrha canam, iuuenum perq; ora uolabis,
Donec sol radijs tempora uincta feret.

Epith. Hectoris.

Hectora ne Priami, ne me censete sepulchro
Vnum tot claris hostibus oppositum.

Ilias, ipse & Homerus, Græcia & ipsa sepulchrũ est,
Quæ nostras fugit pallida sæpe manus.

In imagine Pompeij Columnæ.

Scribere uis solem, Phaethontem scribere & ipsum,
Per solem, haud uiuis scribere fas radijs,
Docta manus potuit Pompeium pingere, sed non
Virtutes animi picta tabella refert.

De amoris impotentia.

Tantopere quod amo, cupioq; uidere, uidendi
Nec satias ulla est, nec requies animo,
Cor salit, ut uideo, fugiuntq; e corpore uires.
De me quisq; potest discere quid sit amor.

Ad Violanthin.

Hanc, Violanthi cupis nitidum si accendere lychnum,
Hanc animam ardentem candida nympha pete.
Nempe illa, heu pietas, tanto succenditur igni,
Vt stellas cœli lambere flamma queat.

Ad eandem.

Istis cordiuoris tuis ocellis
Cepisti miserum, atq; sauciasti
Captum, me miserum necasq; amantem.
Et quæ sæuitia est necare amantem,
Qui se non clypeo tuetur, atq;
Armis, sed capite aduenitq; nudo
Ad tua genua, supplicíq; uoce?
Et quæ sæuitia est necare amantem
Inter uincula, supplicemq;, inermemq;?

Obsecro Violanthi, pulchra quantum es,
Tantum sis pia. nostra non mouet te
Pœna, non cruciatus asper, atrox,
Qualem trux habet ipse ne quidem Orcus?
Mitem uerte oculum, atq; cerne, ut intus
Tabesco miser, atq; deliquesco.
Cæram non ita multa flamma soluit,
Terræ non ita sol pater uapores.
Vna spes superat, tenetq; uitam,
Si qua te pietas puella uertat,
Et mitis mea lux bees amantem.

De *amore.*

Est ignis pectus uehementior igne chimæræ,
Quem nullo extingui tempore & imbre ferunt.
Est ignis pectus rediuiuum, quale Promethei
Aut Tityi ingentis fabula prisca refert.
Illa mihi lux atra omni memorabitur æuo,
Qua me heu libertas candida destituit.
Insidias crudelis amor cum matre tetendit
Armati telis & pharetra & facibus.
Quæ uictoria inermi & soli imponere amanti
Ipsis terribiles dijs etiam superis?

Epith. uini moscati.

Dulce syracusijs moscatum collibus ortum
Hic positum mulsit pectora sæpe uirum.
Nunc abijt linquens desertum & inane sepulchrum,
Et tristem domino liquit amaritiem.

De amore.

Heus tu qui ad fontem flammatum pingis amorem,
Falleris, haud ignem extinguit amoris, aqua.

Ad Annibalem Pignatellum.

Ipse tibi Europæ, Lybies mihi munera tu das,
Quis nobis Asiæ tertia dona feret?

Ad Marium Aligerum.

Ne mihi post cœnam, uentris si expleta libido,
Suminaq; apponas, terga & aprugna Mari.
Post spicam intempestiuus messoribus imber.
Optet & in portu nauita quid zephyros?

De Domicilla.

Dum Domicilla lauat, teretes nudatq; papillas,
Huic Venus ignitum ceston habere dedit.
Dum spectem, nihil Actæon & cornua terrent.
Siue Diana ipsa est inclyta, siue Venus.
Flexanimis philtris domitas quibus aspera corda,
In me unum cunctis utere Cypri, licet.

De Myrtide.

Qua non in Latio forma præstantior ulla,
Aut fuit, aut reliqua in tempora forsan erit,
Suspendit speculum tibi Myrtis pulchra Dione,
Amplius haud rugas passa uidere suas.

Ad Pyrrham.

In Pyrrhæ serto ut præstat rosa, sic mea Pyrrha
Cumq; rosa flores uincit, & una nitet.
Ad speciem Pyrrhæ languet sua gratia florum,

Est serti sertum Pyrrha, rosæq; rosa.

Ad eandem.

Das uitam, & perimis me formosissima Pyrrha,
Quid dicam? totum me ferus ignis habet.
Quo fugiam? circum me exercitus adstat amorum,
Et respirandi copia nulla datur.

De Myrtide.

Viderunt molles formosam Myrtida amores
Profecti auratis Cypridos ex adytis,
Nec mora, mouerunt tanta duce fortia castra,
Et quis non iuuenum saucia corda tulit?

Ad Lippum.

Emptos capillos iurat esse natiuos
Cicella, nunquid Lippe peierat? certe.

Ad Inachum Cabanilium.

Inache uirgineo puer irretitus amore
Sic gemis, in sicco? ut phoca relicta mari,
Phoca maris cupiens. sed Persei & Bellerophontis
Non falx rete secet quod te habet implicitum.

Epith. Myrtidis.

Hic iacet ante alias Myrtis formosior, illa
Pirenes tempe & uere serena magis.
Mortalis Cytherea procis celebrata superbis
Plus, quam Penelope, Tyndaris, aut Helene.
In qua composuit quicquid, Venus aurea, pulchri est,
Hanc amor extinctam prosequitur lachrymis.
Quæ formosum uer & amabile floruit, una

Quæ charitum solita est lilia demetere,
Amplius haud radios Hyperionis *aspicit, he heu*
Fatali æternum uicta sopore iacet.

Sella.

Siue graui sophiæ incumbis, lætis ue camœnis,
Seu placidis fidibus, sum tibi fida comes.

Ad Cosmum *fratrem.*

Quod Gryphes *ornant uolucres insignia nostra,*
Hoc *forte e* Bacchi *nomine nomen erat.*
Ex Aniso *omnino contendis ducere* Cosme,
Concedo, *aut atauis ista uidere sino.*

Epith. Octauij.

Hectora *non* Priamus *tantum, non* Dardana Troia
Fleuit in idæis uallibus orba parens
O ctaui, *quantum te daunia* Troia, *paterq;*
Tullus, *nec modus est tristitiæ & lachrymis.*

Ad M. Ant. Magnum.

Phœbo munera grata sunt corollæ,
Quæ priscos referant, leuentq; amores,
Grata carmina sunt, chelisq; grata.
At dura arma placent fero Gradiuo,
Vt myrtus Veneri, Mineruæ *oliua.*
Baccho *munera missitare si uis,*
Vina delige, nobiles & uuas.
Næ tu rite facis diserte magne,
Qui das muns Anysio, *quod ipsi*
Naxij Bromio *suo dedissent.*

Prisca e familia esse gloriatur
Nysæa, & domo Anysius Lyæi.

De Venere & Luna.

Pallida & exanguis dicta est latonia uirgo
A Venere, & Latmi quam puer unus amet.
I Venus egregia, i Cypri formosissima in Idam,
Phœbe ait, Anchises te uocat atq; Paris.

De Venere & musis.

Sic musis Venus. ergo me eleuat Antiniana?
Armabitur at in uos cupidinum phalanx.
Hæc contra musæ. ne magna Cypri minitare.
Frustra uolant in nos tui isti amorculi.

De Ioue & amore.

Iupiter hæc in amorem. ego tela tibi ista refringam.
Ille hæc, Quum taurus rursus, erisq; cycnus.

In speculo.

Huc ad me iuuenes, molles huc ite puellæ.
Improba si spectes tristior ibis anus.

De Mamurra.

Hirudo ut improba uenter es, per quem senex
Mamurra libertatem amatam perdidit.

In Thynnum.

Sicine Thynne facis canis iniuriam & annis?
Mentem non uideo, canitiem uideo.

Ad Cæsarem Cabanilium.

Lubrica letiferi uis est mi Cæsar amoris,
Qualis ne diræ est aspidis in Libya,

Vix aciem attigeris letalis arundinis, illa
Labitur interna in uiscera continuo.
Cunq; ueneno ignẽ admiscet, quem extinguere nõ est,
Non si perfundas totum etiam Oceanum,
Vulcano longe liparæo incensius urit
Torre intestino perniciosus amor.

Ad Horatium Ballionem.

Pactolus olim cornibus aureis
Aequor petebat, uiscera deterens
Tmoli beati, & pertinacis
Ditis opes retegens repostas.
Huic æmulus fert Sangarius grauem
Amnis draconem, robore quem Hercules
Deiecit, amplexus superbos
Cur petijt meruitq; nymphæ.
Hic impotentes diuitias dedit
Crœso, sed auro rex didicit tamen
Non esse fidendum satis, quum
Verba grauis meminit Solonis.
Virtutem at ille ostendit, in arduis
Rebus nitentem, claraq; nunc fides
Prælucet in cœlo. & recusant
Magna homines facere ob laborem.
Quin orta proles magnanimo a duce,
Alcmena summo quem peperit Ioui,
Mox cum recensitis colonis
Italiam bimarem petiuit.

Hinc uestra Horati est inclyta ciuitas,
Quæ secla per tot, militiæ & domi
Produxit insignes uiros, quos
Fama adeo ac monumenta lustrant.

Ad *Nicolaum Phliscum Cardinalem.*

Nicoleo Anysius breuem satyram dedit,
Non hercle multis dedolatam noctibus.
Accepit hilaris, uatem adornans laudibus.
Sic est propitius thure pauco Iupiter.

Ad *Pyrrham.*

O quæ es mollior anseris medulla,
Tenelli quoq; ulturis capillo,
Aestiuoq; sopore proni ad amnis
Ripam, sub salicis uirentis umbra.
O passercule, turtur, o columba,
Qualem non tenui Minerua filo
Pingat, purpurea Venusq; tela.
Sola es, quam nitido ex liquore roris
Compegere deæ, dedere & orbi.
Sola es, quæ osse cares, es ipsa tota
Quin lac in calatho coagulatum,
Quam uel sorbeat integram puella
Vno haustu annicula illaboriose.

De *Musica.*

Sub Pelij altis rupibus, est uetus
Fama, inclytorum semideam manum
In puppe prima nauigasse,

Et stationem habuisse primam.
Chirona magnum uisere nobiles
Heroas hic desiderium rapit.
Tiphy relicto mox magistro,
Desiliunt alacres arenis,
Primusq; Peleus præ studio suum
Visendi Achillem, quem Thetis optimo
Centauro alendum misit, arcu
Eximium puerum atq; cantu.
Acepti amice, post epulas lyram
De dextra alumni Phillyrides capit,
Atq; arte mira, dura bella
Pirithoi cecinit, feroces
Multo lyæo quis Pholum & Imbrea
Rhetumq; & acrem Pherea contudit.
Illi audientes obstupebant,
Pectora mulcti, animosq; sæuos.
Post illa non Orphei tacuit chelis,
Sic nanq; Chiron, sic iubet & pudor
Et conscia artis mens, & ipsi
Semidei, uenerandus ordo.
Vel teste te Orpheu, præcipites statim
Amnes steterunt, syluaq; uerticem
Inflexit aurita, & uolucres
Mox rapidum tenuere cursum.
At diua mater Calliope, uelim
Dicas mihi, ecquæ tanta potentia

Tunc musicæ artis præualebat.

Qua celebris Linus, & qua Arion.

In fontẽ siccatũ in morte Litauici Vrsini.

Nymphæ fontanæ quo abijstis? quo liquor ille?

Quæ flamma extinxit perpetuos latices?

A misso domino in luctu tabescimus, he heu

Lethes torrentem nunc Litauice bibis.

Ad Ferantium principem Salerni.

Nos ad delicias tui Salerni
Feranti pater omnium leporum
Inuitas. ego mehercules Salernum
Noui tam bene, quam meos penates,
Vt Baccho affluit, inclytisq; pomis,
Longe ante Alcinoiq;, Adonidosq;,
Longe ante hesperidum uireta, quum sic
Lirni munere patris irrigetur
Hac illac nitido liquore nilis,
Nympharum choreis, chorisq; blandis.
Sed me detinet, atq; habet uolentem
Nigris Pyrrha oculis, & ore flauo,
Qua sine, elysia arua, sordeantq;
Mellis flumina, & insulæ beatæ.

De Clemente Gattulo.

Dum uixit Clemens medica præclarus in arte,

Sæpe colum abiecit pallida parca manu.

In hirundinem.

In te quid tantum uolucris Pandioni uirgo

Commisi? Thereo non tuli ego auxilium,
Quod me tam sæuo percusti uulnere, quantum
Non acies ferri, non leuis hasta ferat.
In somnis est uisa mea Antimana benigne
Omnia, quæ cuperem, dicereq; & facere.
An potuit quicquam tum me felicius esse?
Non inuidissem regna beata deis.
Eœe uenis, matutinas repetisq; querelas,
Nam memor antiquæ es perfidiæ ac sceleris.
Eœe uenis, mihi funestas recinisq; querelas,
Et me de campis deijcis elysijs.
Deturbor solio summi de regis olympi,
Expergefactus destituorq; miser.
Cum somno fugit mea formosissima nympha.
Heu cur perpetuus non sopor ille fuit?

Ad Bassum.

Dedisti mihi ter quaterq; cœnam
Sane quam illepidam, atq; inelegantem.
Multa non adeo tuli moleste,
Sed uappam cruciumq; ferre nullo
Pacto ego potui, sitimq; noster
Sebethus latice expulit niuali.
Quare habe tibi prandium caninum
Basse, & me amplius abstine uocare
Ad cœnam illepidam atq; inelegantem.

Ad Gregorium Caluum.

Calue modum lachrymis urbano orbatus amico

Fac tandem Phliscæ flore oculoq; domus,
Cui patruus summum fors Petri ambisset honorem
Nicoleos, languet nunc grauis ille senex.
Huc hominum spes, diuitiæ, imperia, huc bona terræ
Cuncta fluunt, mortis nempe epulæ atq; dapes.

Epith. Mausoli Cariæ.

Mausoli, tantum merito quem suspicis hospes,
Miraris tantum, ne tumulum esse puta.
Infelix ego sum tumulus mœstissima coniux,
Quæ cinerem, & cari coniugis ossa bibi.

Ad Iosuen Canorum.

Non sunt diuitiæ, quas uulgus tollit amatq;,
Arua, armenta, auri uis, decora, imperia.
Sola animi bona diuitiæ, ditissima uirtus,
Quæ se ipsa est diues cætera despiciens.
Hæc adeo extollunt quis corporis est amor, illa
Qui cœlum spreto corpore suspiciunt.
Hi stipant ut apes fragranti nectare cellas,
Non sibi, quas relinat mox aliena manus.
Illi thesauros condunt, mihi crede Canore,
Quos non tempus edax, nec fera fors adimat.

De Virgilio.

Aureus aurata cithara cantabat Apollo,
Excepit uates carmina Virgilius.
Luminaq; extingui poterunt prius aurea Phœbi,
Et mundi immensi sydera deficere,
Quam tanti uatis deleri nomen honorq;,

Quem celebrat fama, & charta sacrauit anus.

LIBER SEPTIMVS.

Ad Calliopen de Alfonso Daualo.

Calliope cur me altisono plectroq; tubaq;
Deturbas de dulcibus orsis?
Ceu nitidum ad fontem quum hostilis adest equitatus,
Conuiuas funditq; fugatq;.
Nempe chelim, facilesq; modos Polyhymnia nobis
Aptarat dea sedula. saeui
Dicere sum fateor minus aptus praelia Martis,
Congressusq; & foedera regum.
Et nos Alfonso multum debere fatemur,
Sed laudes aequare canendo
Magnanimi iuuenis saliunt praecordia. te oro
Calliope, ne iusseris istuc,
Vel mihi maiores animos da, & suffice uires,
Aut Smyrnae, aut Andis duce uate.

Ad deos maris.

O Portune, mihi quando aderit praenitidus dies?
Quo e uastis liceat fluctibus euadere sospitem
In portum, liceat clauibus imponere serta, tum
Postes pingere & aras, solaq; spargere floribus.
Te Neptune precor, te ueneror, respice per maris
Dorsa excelsa ciet quam rabiem, quas furias Notus.
Ne tanta Aeolus obturgeat ira, pater impera.

O rerum uarias semper, & bilum haud stabiles uices.
Tam pulchra facie qui fuerat pontus heri, en tumet
Tam nigrantibus undis. ruit en Iupiter arduus
E cœlo, igne corusco, atq; soror grandine & imbribus.
Sed quod plus solito splendidius fulget ab Hespero
Sydus, num quis opem fert miseris nobilior deus?

Ad sodales.

Raptam ob puellam Tyndari, ab hospite,
Frondosa in ida, qui Iouis inclytam
Natam & sororem iudicauit
Idaliæ Veneri secundas,
In funus & fatum Phrygum, & Ilij
Coniurat omnis Græcia. quas tulit
Sigæa tellus peruicaci
A puero Thetios procellas?
Consessu in illo, quo sacra uox manu
Defensa Phthia est in rapidas ducis
Flammas amoris, mox remissa
Aurea uirgo anima estq; patri.
Sedata certe dante deo est lues,
Verum orta longe perniciosior
Achillem & inter sæuum Atridem,
Quam furor iraq; concitauit.
Testis Scamander & Simois fugæ
Stragisq; fœdæ, magnanimo Hectore
Cædente terga, ebullientes
Sanguine graiugenum phalangis.

Vitate quicquam cernere iniquius,
Vitate rixas, atq; odia aspera,
Vos per deos quæso sodales,
Vnde oritur truculenta Enyo.
Et siquid unquam tristius incidit,
Ne ulcus fouete, proripite statim
Sed uos Iacchi ad dona, rixas
Hic liceat facere ad lucernam.

Ad Ferrandum Austrium regem.

Regna & applausus, leuis atq; uulgi
Cuncta mirantis, breue tempus æui
Fraudibus septum insidijsq;, tandem
Deijcit Orco.
Vidit Euphrates, tumidusq; Nilus,
Vidit & fronte Eridanus minaci
Plurimos, turpis quibus est superstes
Fama, tyrannos.
Plurimis nullum superesse nomen
Fata sanxerunt, meliore forsan,
Quod carent tristi nota ad antra Auerni,
Conditione.
Hauriunt annos miseri nepotes
Ceu nigro plenos calices falerno.
Quæ putas uitæ numerosa turba
Præmia debent?
Sola uirtutis facies decora
Crescit, accensus uelut ignis, inter

Aridas messes. feret omne in æuum
Fama Hadrianum.
Cernis ut Petri gracilem phaselum
Naufragam portu statit, ut tridenti
Obrutos rex Ennosigæus altis
Alleuat undis.
Est poetarum proprium tyrannos
Persequi. contra, benefacta regum
Carmine, exemplum graue redditurò,
Tollere ad astra.
Munus est uatum, celebris per orbem
Herculis uirtus, celebris nouercæ
Ira. sed cur non documenta uiuis
Funera præbent?
Disce Ferrande in teneris laborem
Inclytum proles Iouis, & canenda
Occupa fortis, uigilesq; curas
Vatibus adde.

Ad Cytherin.

Lepida olim mihi dulcisq; Cytheri,
Fuit unquam si alia, aut est potis esse,
Roseum uer ubi nobis hilara in fronte nitebat.
Memini heu, memini, non sine cordis
Gemitu, delicias illius æui,
Iuuenilesq; faces, quas Venus & quas puer ales
Iaculabantur, ubi dulce duellum

Cecinit cornicen insignis amorum,
Gemitus hic referat, uulnera, suspiria, mortes.
Tu etiam, quum caput alba niue plutum,
Nitido quod fuit ardentius auro,
Oculos obtenebratos, duo fulgentia pulchri
Iouis, almæ & Veneris sydera, mox &
Faciem liuidam, torpida, frigentia
Tua mēbra aspicis, ac mortua, quā es mēte Cytheri:
Equidem qua imperio qui actus auito
Fuga abit, sæpe retro lumina torquens,
Sua desiderio & conficiens corda dolore.
Rapido heu turbine mortalia porro
Fluitant prona, nec humana potest uis
Modicum sistere uestigia, per lubrica uitæ.
Igitur quod licet, & dum abstulit haud mors,
Genio sacra feramus duce Iaccho.
Puer i, terq; scypho spumiuorū infunde salernū.

Ad Decium Aprianum.

Apri, propago romulidum inclyta
Rerum potitis imperatoribus,
Quos urbium regina uidit
Iura dare hesperys & indis,
Longum parasti cum Seripando iter
Oenotriæ in saltus gelidos, ubi
Non longe ab altis uertice absunt
Syderibus piceæ comantes,
Lucana uises castra per arduos

Montes, & agros per bimaris plagæ,
Quos Brutiorum præoccupauit
Gens, dominos fugiens superbos.
Heroa & iram sub Temesæ rudus
Placabis infestam, monumenta mox
Regis molossi, uerticemq;
Ambiguum, atq; Acheronta cernes.
Post græca, diuertes facinora ad tuæ
Gentis, ferocemq; Annibalem dolis
Gaudebis exutum, latebris
Infremere ut libycum leonem.
Sed missa tandem istæc faciamus, &
Opes beatas Parrhasij quoq;
Missas amico ex asse lega-
Tas Seripando, adeo beatas,
Librorum aceruos nobilium, utpote
Illis minores non philadelphicis.
Fac sacra Baccho mi Apriane,
Hic ubi nobilibus racemis
Cliui renident, dorsaq, collium,
Quos Cratis unda purpurea alluit,
Cratis pater nympharum, & unda
Quos Sybaris rigat arroganti,
Fac sacra, uinctus tempora pampino,
Pellens ab animo solicitudines.
Odere non musæ Catonem
Rite operantem hilaro Lyæo.

Germanus aureo Liber Apollini est,
Germana laurus est hederæ, pij
Nempe his coronantur poetæ,
Quando opus est gemino furore.

Nosti, minantur quæ mala perdito
Orbi periti syderum, Aquarius
Quum inuertet annum, mox & ignes
Piscis ubi afficiet deorum.

Portis olympi uim rapidam imbrium ef-
Fusum iri, ut olim rege sub Ogyge.
Robusta, quare instant monere,
Qui sapiunt sibi tecta condant.

Es tu meis uerbis animo bono,
Sperne ac minas, sic Cynthius & soror
Iubent serena fronte læti,
Qui nitidos moderantur orbes.

Ad Apollinem, & ad Petrū, pro urbe Roma

Quid pater longe iaculans Apollo
Arcu, & intinctis Phlegethonte telis,
Quid pater? prorsus populum Quirini
Perdere tendis?

Non hic excelsam ruiturus arcem ad
Ilium sedit decimum per annum,
Quum senex Chryses precibus reposcit
Nobile pignus.

Venit Atridas pater ad superbos,
Præferens uittas uiridesq; lauros.

Dextera & sceptrum aureum, & omne Phœbi
Stemma sacerdos.
Sic dei summa atria olympi habentes,
Vrbe dent tandem Assaraci potiri,
Mox domum præda reduces reuerti
Diuite onustos.
Reddite o reges mihi natam, & aurum
Quod fero, ignotum accipitote pondus.
Impijs, Phœbum uereamini, arcu
Fata ferentem.
Irritis uotis cecidere uerba,
Rege ab immiti retulit repulsam,
Dijs, & inuisam generi per orbem
Omni animantum.
Phœbe, nam dixit dare terga iussus,
Rite si feci toties sacerdos
In tuis aris, maledicta grai ul-
Ciscere regis.
Audijt summa deus arce olympi,
Spicula ac misit medicata tristi
Pharmaco, quis gens danaum feroci
Peste periret.
Roma quid tantum potuit mereri?
Quod scelus tantum, facinusue patrum?
Tantalos certe tityosq; nostra haud
Secla tulere.
Cædis antiquæ an renouata lis est?

Romulum ne ausim insimulare magnum
Criminis foedis minime. uetustas
Viderit ipsa.
Romulum prisci affore credidere
Vrbis afflictis miserisq; rebus.
Romulum si fas foret inuocare,
Rite uocarem.
Sed Petro maior potiorq; uirtus
Tradita est quando a domitore ditis,
Supplices Petre prece te obsecramus,
Auxilio urbi
Iam prope exhaustae uenias, & agris
Pene desertis ualido colono,
More non curae est ueteri salubrem
Figere clauum,
Cespite insigni neq; nuncupatis
Hostias uotis, rapidos leones
Contrucidandos, aquilasq; centum,
Sistere ad aras.

Ad Coeceium.

Coecei unanimis sodalis, ex quo
Florebat nitidis iuuenta malis,
Coeptum peragere ad arua Brutiorum,
Felicem patriam arua Brutiorum,
Non sinunt iter aequoris procellae,
Dum certat Boreae Africus *rigenti,*

Tyrrheni Africus arbiter profundi.
Ego pro reditu preces sacerdos
Fudi, sic mea uota dij secundent,
Magnus Iupiter atq; magna coniux,
Et Pheax ratis ocyorq; uentis
Te optatæ statuat uolans arenæ.

Ad Hermionen.

Hermione ad fontem sitiens decurris anhelo
Ore, sitim sedet quo liquor haustus aquæ.
Fons siccus squalet iampridem, falleris ergo.
Quære alium fontem, si sapis Hermione.

Ad Bernardum Sanctium.

Sancti, non merito meretur iste
Infortunia, pessimosq; mœchos
Inq; os, inq; oculos uolare apertos?
Qui quum sit lepus, & spado, & parum uir,
Vxorem expetit, allicitq; donis
Formosam Hermionen *iuuentæ in ipso*
Flore, de charitum choro unam, & uni
Cedentem Veneri, inter astra solem.
Non ditem Hermione, *nec aurum & ostrum,*
Sed uult aut Parida, aut uirum Gradiuum.

Ad Octauianum Phlegosum.

Non fortem triste exilium, non uincula frangunt,
Quæ mala degeneres deijciunt animos.
Idem es tam misero exilio, atq; hoc carcere tetro
Octaui, qui olim maximo in imperio.

De morte trium filiorum Vgonis Sanseuerinij.

Quantum Geryone, *&* Horatijs, *inclyta quantum*
Ornata Hesperia est utraq; tergeminis,
T*ergemina tantum* V*gonis sobole ornabatur*
Parthenope, cuius flos & ocellus erant.
I*nuidit fortuna,* Ereboq; *eduxit* Erinnys
T*ergeminas, diris anguibus implicitas,*
H*eu stirpe ex uno tria candida lilia, in ipso*
Limine uitæ, atra dissecuere manu.

De nequitia perseuerante.

Aeææ a stabulis insulæ, ubi in feras
Mutati socij a nepte Hyperionis,
Qui præ fluxa tulere
Aeternis animi bonis,
M*ox præter uehitur per uada cærula,*
Quo ducit Lachesis irreuocabile
Stamen, durus V*lysses*
Sirenum scopulos sacros.
A*duersum sapiens stirpem* A*cheloiam,*
Ni membris laqueos, auribus & feras
Opponat, graue letum,
Infortuniaq; oppetat.
C*ur non omnis ibi præcipitem dedit*
Sese nequities? dira etiam mali
Num contagia serpunt
In labes hominum ac neces.
Q*uot lætis oculis, fronte uenustula,*

Blando ore illecebris undiq; diffluunt,
Suntq; intus mera monstra,
Sirenum soboles mera.
Quot uultu placido, quos homines putas,
Titillante uoluptate, liquentia
Vertunt pocula Circes
In hora ter & amplius.

Ad Parcam.

Non Parca mortem deprecor, sero an cito
Nostrum nigranti pulset hostium pede,
Quando moriendum est omnibus. sed hoc precor,
Vt ante mortem, tot labores, perdius
Pernoxq;, musis & iubente Apolline,
Meumq; defraudans genium, quos pertuli,
Componere, in lucem & dare liceat mihi.
Non Parca rem fortasse iniquam poscimus.
Si non licebit, quisquis es, cui hæc in manus
Venient, per omnes te deos ego & deas
Oroq; & obtestor, procul liuoribus
Proculq; furtis, e tenebris eruas
Claram in diem. sol quippe cuncta prospicit,
Palamq; facit, ut quisq; seu bene, seu male
Patrarit, & parata semper ultio est.
Hoc me timere adegit immitis lues,
Quæ serpit, & uallauit undiq; oppidum.
Seruate nos patroni, & indigetes dei
Agnelle, Ianuari. ope in uestra salus

Nostra est sita. o diui ferocem in Arsacem,
Nobis minatur qui suprema uertite.
Rhodos misella sensit impias manus.
Videmus hæc, & possumus ferre ac pati.
O non sequatur pone uindex ultio,
Dolor supremus, sera pœnitentia.

De imagine Ioannæ Aragoniæ.

Numne Helenæ argiuæ? Veneris nũc iclytæ imago?
Non. Verum Ianæ est hospes aragoniæ.
Sed nihil ad uiuam. charitas huic adde, animiq;
Dotes, atq; ipsam iam Venerem esse putes.

Ad Ferrandum, Federici regis F.

Ferrande, seruant te incolumem dei
Tot per procellas, perq; ruentia
Tot tela fortunæ minacis.
Non temere, mihi crede, seruant.
Alterna rerum lex uariat uices,
Post iram atrocem terribilis Iouis,
Fratrumq; uesanos furores,
Sæpe dies redeunt sereni.
Pro calculis esto hoc Babylonijs,
Et magna de te præscioli ferant,
Vt cunq; sese res habebit,
Te iubeo esse animo sereno.

Ad Ianum Matthæum Gibertum Ξένιον.

Gemmam, quam mihi magna Ditis uxor
Nuper de elysijs remisit hortis,

Quam non est pretio rependere ullo,
Ipsa nec ligurum smaragdus aequet,
Saturni tibi candidis diebus
Mitto, quandoquidem aestimator es tu
Pulchrarum egregius Giberte rerum.

Ad Calliopen, de malo punico.

Mens est alterno magnum canere Orphea uersu,
Pierij princeps Calliopea chori.
Quid primum, tua quod facile non respuat auris,
Ordiar, hoc tota mente animoq; paro.
An quae primaeuo cecinit sub flore iuuentae,
Argutae quum uox assonuit citharae?
An quae actus Bacchi stimulis & Apollinis oestro
Mortales docuit mystica sacra deum?
Et chaos antiquum, simul abdita semina rerum,
Sub quis Saturnus aethera progenuit.
Aeternae noctis patrem, geminumq; Phaneta
Ex Hecate, implicitum qui gerit igne caput.
Anguipedum deinceps horrentia bella gigantum,
Miscuit ut superos impia seditio.
Mox Cereris luctum cara pro uirgine adempta,
Atq; Cabirorum munera perspicua.
Et respõsa deum, Lemnonq; sacram, & Samothracen,
Excelsamq; Cypron, Palladaq; & Venerem.
Quid superos flectat, quae munera, uota, precesq;,
Iunganturq; homines qua ratione deis.
Sed simul ac sacras Aegypti accessit ad urbes,

Congressus doctis semideisq; uiris,
Quicquid auesq;, feræq;, & quicquid somnia & astra
Portendunt, quantum gramina lecta ualent,
Et lapides, affecta leuet quid corpora tandem,
Mortales docuit carmine dulcifluo.
Ast ubi Libethri sublimi in uertice adiuit
Vatem oraturus nobilis Aesonides,
Adforet in Colchon socius per cærula ponti,
Regnat ubi Oetes, diraq; gens hominum,
Qua magnæ Iunonis ope, & qua Palladis arte,
Impulsa est pubes ac pagasea ratis,
Quid manus heroum, quos exhaurire labores
Impulerit sæua parca tremenda manu,
Donec phrixeo expugnatis uellere monstris
Ditati, salsa retro abiere uia,
Hac, ubi Medea, maiora pericula, rapta
Inuenere duces littora per Scythiæ,
Quæ Peliæ mandata dolis insuta perenne
Regibus æmonijs tum peperere decus,
Acinuit dulci uates testudine, mox &
Plutonis fauces tænariasq; uias.
Huc miserum perduxit amor, uis effera, amanti
Dilectam Euridicen quum impia mors rapuit.
Peruius huic tristis Cocytus, peruia cœno
Styx grauida, atq; trucis lurida cymba senis,
Atq; Acheron Phlegethōq; Erebusq;, ipsa atria Ditis
Obsessa & furijs, terribiliq; cane.

Quæ monstra occurrere tremenda? immania monstra
Demulsa insigni sed iacuere chely.
Interea & sæuis cruciatibus externati
Tantalus, Aeolides, danaidumq; chorus,
Ixion, Tityus, titaniaq; impia pubes
Respirauerunt dulce sonante chely.
Quin Plutonis inexorabile pectus, & atræ
Iunonis mulsit, nec renuere preces,
Redderet Euridicen reparato stamine parca,
Admirata id quod pallida turba fuit.
Si non mandati oblitus ui maxima amoris
Esset, quare iterum perdidit Euridicen.
Hæc ego dum meditor, furor alto e pectore cessit,
Attonitum, amentem destituitq; deus.
At merito plector, supra mea carmina uires
Currere per uetitas sunt temere ausa uias.
Nempe hæc ille canebat, & alto e culmine cœli
Vidisses currum flectere solis equos.
Vidisses uentos, & flumina sistere cursus,
Et prono syluas uertice connuere.
Non tamen usq; adeo despexit musa poetam.
Res ait heroum carmina clauda canent?
Quin cape materiam numeris & uiribus æquam,
Non urtica rosam fert, neq; malua pirum.
De medio quanuis cursu insuperabile fatum
Conuictam retro traxerit Euridicen,
Non tamen infelix diuulsæ destitit Orpheus

Terga sequi, complens quæstibus omnem Erebum,
Si precibus locus est ullus, precor, o mihi manes
Reddite, qua dempta nil moror ipse mori.
Reddite dilectam uxorem. Iamq; icerat aures
Persephones questus, clamor & ille uiri,
Perstrinxit memoris reginæ pectus, imago
Persimilis, luctus matris, idemq; malum.
Mox iubet acciri uatem, ac solata dolorem
Quis potuit uerbis diua triformis, ait,
Haud pote tertium erat fata exorare, receptam
Nympham, quam mortis uincla suprema tenent.
Quare animum compone, cape & solamen amoris
Egregij, quod do munus ego egregium.
Iusserat Elysys ramum deferrier aruis,
Insignem ramum frondibus & folijs.
In folijs uiridisq; nitor, nitidæq; smaragdi,
Flores sunt radijs sydera conspicua.
Fructus iucundo aspectu, suauiq; sapore,
Vt uere dicas nectar & ambrosiam.
Innumeras gemmas complectitur aureus orbis,
Quotquot diues habet Indus & Oceanus.
Non acinos dicas, sed iaspidas atq; amethystos,
Et qui uel sedent sub Phlegethonte sitim.
Ob raptam Euridicen gratissima munera noster
Orbis habet, celebratq; Orphea fama recens.
Nobilis hæc tibi commodius cantabitur arbos,
Acceptumq; Orpheus Persephoneq; feret.

In Silenum.

Nae tu multus homo es similis Silene lupino,
Es mitis, madidus, siccus, amarus atrox.

In mulieres.

Est mera lis homini mulier, duo tempora praeter,
Quum iacet in thalamo, quum iacet in feretro.

Epith. Prosperi Columnae.

Quem quondam armatus pressisti cladibus hostem,
Huic etiam exitio es languidus & moriens.
Nunc Prosper moriendum. optato tempore, uitae
Fila secat facili parca benigna manu.
Non opus est lachrymis, titulisue insignibus, ipsa
Virtus praeclarum nomen ad astra refert.

Ad Neptunum in alluuione neapolitana.

Aeriae nubes, unde imbrem ac flumina tanta,
Nocte illa horribili euomuistis aquae?
Quid Neptune pater potuit committere tantum
Cara olim neptis candida Parthenope?
In fluuios uersi montes petere aequora certant,
Et secum scopulos, & nemora alta trahunt.
Secum hortos nitidos atq; e radicibus imis
Templa, domos, ipsis cum stabulis pecora.
Parce pater, fratremq; roga, diamq; sororem,
Et facilis uotis annue supplicibus.
Crinibus en passis matres, pauidaeq; puellae
Porrecto flentes agmine uota ferunt.

De filio pientissimo.

Voluere torrentem cineres atq; ossa parentum
Conspexit natus, congemuitq; pius.
Reddidit audacem dolor, & se immisit in undas
Terribiles, anceps pugna erat atq; ferox.
Tandem seruauit tumulum, uerum obrutus ipse,
Pro pietas, sæuis fluctibus interijt.

De filio comeso a matre, in obsidione hierosolymitana.

Te peperi, te nate alui, pressi ubera nate,
Scilicet ut mater te gladio feriam?
Ambos in partu Lucina irata tulisset.
Cur non discissis ilibus interij.
Hiscite, quid statis, terræ? ruat arduus æther
In caput, in me omnis tartarus exiliat.
Quo nos dira fames compellit? uos ne potestis
Aspicere hæc æquis sydera luminibus?
Nate petes iterum infelicis uiscera matris,
Te pietas celebrem, me feret impietas.

Ad Scintillios fratres.

Fratres uicissim, candidi quidem fratres
Certant, at audite obsecro quibus telis,
Donis profecto, demerendo honestos, &
Probos amicos, ambitu procul turpi,
Sed mente & animo liberali & integro.
Scintillij saluete, & este felices,
Gemelle Pollux & Gemelle Pollucis.

Ad Ferrandum Daualum.

Ne te angas animi dux inclyte, terga dedisse
Fortunæ telis insidijsq; deæ.
Laus est prima quidem hostem debellare, secunda,
Quauis arte suos, seq; referre domum.
Dauale sat fuit hesperios docuisse, tot annos
Iam fere inaccessas ire redire uias.

Ad Federicum.

Quid tibi, si donem, quas Alpes Taurus & Atlas
Sublimi terras uertice despiciunt?
Quid tibi, si donem, quascunq; opulentior oras
Fluminibus refluis alluit Oceanus?
Quid tibi, si donem thesauros, quos habet Orcus,
Et quos sub liquidis Ennosigæus aquis?
Vt uana hæc prorsus, sic tu Federice Pinellum
Soluere iussisti uana talenta mihi.

Ad Ianum Antonium Susannam.

Miraris, nostris expilatoribus ut nil
Luceat ex tot, quæ surripuere mihi.
Hæc est Nicolei nemesis, iustissimaq; ira,
Largus ut est erga munificusq; bonos.
Non Susanna magis subreptum profuit illis,
Quam stomacho affecto fercula Pontificum.

In grauissima ualitudine Ferrandi
principis Salerni.

Vix tandem resipiscimus miselli,
Consternati animo & metu repente,

Quis rumor Styge natus icit aures,
Iam pensa ultima principis uoluta?
Dij seruate pij unicam Salerni
Spem, primis iuuenem nitentem in annis.
Audiuere dei. Gniphoq; Apollo
Impertiuit opem sui Aesculapi.
Dextro hic sanguine Gorgonis retraxit
Ferrandum a foribus ferocis Orci.

Ad Hieronymum Scanapecum.

Rem conducibilemq; & honestam postulat ordo
Omnis amicorum. quam? Scanapece rogas.
Nempe indefessa uersati incude labores
Tot nostri, ut subeant ærea signa petunt.
Sic illos, sic nos, non æui iniuria lædat,
Non ea quæ pulchris inuidet inuidia.
Parte sua haud horum quisquam fraudatus abiuit,
Seu sese obtulerunt seria, siue ioci.

Ad Pompeium Columnam.

Iam prope perpetuis conuulsæ uocibus aures
Pompei cogunt nos dare uela rati.
Quumq; operam egregiam studiumq; Sabatius unus
Instar multorum prebet, adestq; comes,
De cælo missus, nostram qui percolat urbem,
Tutos in portum carbasa plena ferent.
Te duce Mnemosyne, hoc correctore, camœnis
Nuncupat emissus uota secunda liber.

Ad Hesperios & Gallos.

Non fore prædixi durum, irritare crabrones?
Dicebam, belli fors dubia esse solet.
Mars communis enim uictorem sæpe trucidat,
Iupiter ut uersat dolia leua magis.
Credita non unquam Cassandræ uera monentis
Fata, phryges sero deniq; pœnituit.
Transistis metas, bello uexare quietos
Aggressi populos, non comitante deo.
Transistis metas, naturæ fœdera, paucis
Impune accessas, ac Ioue progenitis,
At forsan nullis. annales uoluite reges,
Quin fidei certæ creditis historijs.
Si quid peccatum tamen, emendare potestis
Cum laude, instabilem fronte deam arripite.
Eia ite unanimes, sacros ascendite montes,
Et prece cum multa soluite uota deo.
Perq; aras centum latitantem exquirite pacem,
Mox rata perpetuum fœdera percutite.
Nymphisq; alpigenis, & nubicomo Apennino
Hæc pacta æternis significate notis.
Quandoquidem tituli insignes ex ære corusco
Implebunt nostris pectora lætitijs.
Hinc alacres in Christi hostes conuertite signa,
Hostes, qui nobis omnia dira parant.

Ad Leonardum Vespilum.

Heroas medicis succis Chirona, Melampum,

Pæonaq; insignes carmina prisca ferunt,
Quin Phœbi prolem uitæ reuocasse priori
Defunctos, fama est, sanguine gorgonio.
Pace deum, pace heroum sit uessile dictum,
Tu plane præstas, Græcia quæ blaterat.

Filij deploratio in busto matris.

En tandem redeo in patriam, sociosq; reuiso,
Amplectorq; meos, colloquioq; fruor,
Te tamen heu nusquam inuenio sanctissima mater,
Instar multorum quæ mihi mater eras.
Te mihi te eripuit crudele Polyxena fatum.
Cur oculos matri claudere non licuit?

Ad Franciscum regem Gallorum.

Et quantum humanæ potuere exoluere uires,
Persoluere tuæ rex generosæ manus.
Defuit & nusquam miles, dux inclyte, cum quo
Debellauisses arrabas æthiopas,
Ipsis cum castris caperis tamen. at fuit hostis
Bellona & Mars & cætera turba deum.
Cede deo Francisce. deum quis tendere contra
Ausit? nonne deum numina clara uides?

Ad Carlum Cæs. Aug.

Dijs genite & geniture deos, tibi maxime Cæsar
Exemplo Crœsus sit, sapiensq; Solon.
Magna quidem capere inuictum uictoria regem,
Sed maior, captum restituisse suis.
Hoc propriũ Augusti est, solida hæc est gloria, quã nõ

Vlla uetustatis læserit inuidia.

Herοum atq; dei est, pacem concedere uictis,
Atq; reluctantum subdere colla iugis.

De *pugna ticinia*, ad Clementem Pont. Max.

Non modus irarum tandem fuit? omnia sæuus
Mucrone Mars, Bellona & hasta discidit,
Quæcunq; est orsus sublimi pectore Clemens
Gregi cauens, pastorem ut optimum decet.
Ac ueluti taurus stabulis depulsus auitis
Iuuencam amatam pectori affixam gerens,
Segnitie domita, per iniqua, per omnia dura,
Pœnarum ubi satis est datum, ac rediјt uigor,
Horrida tempestas subito ceu surgit ab Austro,
Nimbumq; grandinemq; fulminaq; ferens,
Præcipiti cursu inuisum defertur in hostem
Ira æstuans, aut uincere, aut certus mori.
Hunc procul impasti, gemini si forte leones
Sint conspicati, in prædam opimam proruunt,
Non tamen ille animo succumbit, sed capite audet
Inire prælia, experiri & omnia.
Sic dudum hesperius gallo concurrit, amatis
Pro insubriæ aruis oppidum ad Ticinium.
Virtutem, ut sæpe, audentem fortuna sequuta est,
Gallos flagello Pan cecidit horridus.
Post ubi terribili insonuit deus, oraq; soluit
Concha, repente corda prostrauit pauor.
Mox cædes, fuga fœda, & quæ solet ultima uictis

Sors esse, miseros pressit indignis modis.
Cæsar habet supra mortalia uota, quod omni est
Liuore maius, nulla quod tenebret dies.
Sat iam pœnarum est, Orco sat cæde litatum,
Regiq; iniusta ignominia tristis notæ.
Nil non lugubre est mutatis uestibus hosti,
Si nomen hostis militem Christi decet.
Illa manus potuit parthiq; syriq; superba
Vincire colla pone quadrigas crucis.
Hoc magis inuigila, ne Clemens desere cœptum
Præclarum opus. quod laude non æquauerint
Cultæ hominum linguæ, non percita pectora uatũ, ut
Ad posteros plus fama quam fides ferat.
Ergo aude duce Christo, nec deterreat usquam
Quicquam, optimũ nam quodq; natũ e pessimo est.
Sulphur & ignis ubi latos lustrauerit agros,
Sacris peractis rite supremo Ioui,
Auguste ac sancte dominum ueneratus olympi,
Crucem triumpho nobili explica pater.

De Ferrando Castrioto.

Quæ cum fortuna campo luctata patenti
Sit Castriotis lucta, tamq; anceps diu,
Quam facile herculeæ aduersus telluris alumnum
Iam compararem, incerta ni foret fides,
Sit longæ historiæ, imperium nam orientis, ab ouo
Esset retexendum, uel usq; ad hanc diem.
Nunc clarum exemplum, facinus memorabile dicam,

Quo terga, uicta dea impotens tandem dedit.
B elli illam molem in se omnem fortißimus heros
Ferrandus excepit, suoq; funere
P rostrauit gallos. direptis deniq; castris,
Et rege capto, ea fulsit hinc uictoria,
C æsar ut oceanum felix inuictis utrunq;
Parere cogat legibus sanctis suis.
P ro patria deuotam animam, pro Cæsare magno
Proiecit hic noster Decius, Horatio
F ortior, opposuit noster sese æquore aperto,
Ad inferos pransurus egregius lacon.
Q uem Tello tumulum posuerunt inclytæ Athenæ,
Eia erigunto inuicta semideum manus.
A t nec opus tumulo, tumulus nam insubria tota,
Titulusq; fama est, nota ad usq; sydera.

De Laura Monfortia Antilia.

C onuentu in celebri pulchras interq; puellas
Lauræ oculis rebar solis inesse faces.
D ij magni, tantum hæc uisa est anteire puellas,
Cætera sol quantum sydera prænitidus,
I llius immo oculos solem superare nitore
R ebar, quum procul est nube serena dies.
H æc mecum. aduersa sol ecce repente fenestra
Ingrediens Lauræ constitit ante oculos.
C redo ego iudicium ratus interrumpere nostrum,
Defendens primas inuidus ille sibi.
P ace tua at dictum sol auree, te quoq; nostro

Iudicio uicit Laura nitore suo.

Ad Ianum Terminium.

L *audibus ijs me sublimem fers Iane in olympum,*
Vt timeam præceps in caput ire meum.
B *ellerophonteis me tollis in æthera pennis,*
Cui uix cæratas Dædalus insuerit.

Ad Pompeium Columnam.

Fontes dant latices suos perennes,
Fert testas mare, squameasq; gentes,
Producunt nemora arbores, ferasq;,
Flores prata nitentia, arua messes.
Cunctis ingenium suum esse rebus
Natura instituit benigna mater.
Heroum at proprium est, deumq; munus,
Largiter dare liberaliterq;.
Heros splendide, splendidumq; sydus,
Cœli quod nitet inclyta e columna,
Talem te genuere dij parentes.

Ad Simonem Porcium.

Q *uid maius Porci a dijs immortalibus unquam*
Optandum uotis, perpetuaq; prece?
E *s tu Parthenopes ciuis, quam dicere ocellum*
Ausim orbis, clarus, diuitijsq; potens.
P *ræterea ingenio, succisq; Machaonis, atro*
Vectigal Diti fortior extenuas.
N *ec satis est uisum, res infra noscere lunam,*
Scire etiam tentas quid faciant superi.

Ad Pompeium Columnam.

Subſcriptum lepido tuo libello,
Multæ ubi ingenij faces relucent,
Præſtantes animæ Venuſq; Amorq;
Pompei adueniunt, fidemq; certam
Fecerunt, adeo fuiſſe gratum,
Nulla obliteret inſequens ut ætas.
Subſcribent charites breui ſorores.

In Tullum Hoſtilium.

Quod regem atq; parem Tullus nimia accipit ira,
Quis non Suffecij triſtia fata fleat?
Ecce pater regum liparæos corripit ignes,
Cumq; domo Hoſtilius fulmine delicuit.

Ad Rotilium.

Pythij uiticulam auream, aureamq;
Regis Dauididæ, talenta Crœſi,
Perſæ diuitias potentioris,
Admirabitur occupatus illis.
At nos carmina ſæpe miſsitando
Citro ultroq;, uti iuſſerint camœnæ,
Pluris uerſiculum æſtimemus unum
Tornatum appoſiteq; & eleganter,
Quam Plutonis opes, opeſq; Nerei.
Rotili his animi bonis beati
Sumus, qui colimus nouem ſorores,
Aſſurgit quibus omnis arx olympi.

Ad Marium.

V is carus cunctis, nulli uis esse molestus?
Da, cape, posce Mari, plurima, pauca, nihil.

De tribus puellis.

T res quondam dubias sortes iecere puellæ,
Ecqua prior tristis per Stygis iret aquas.
O mnibus una eadem sors iacta, proinde cachinno
Excepta est sortis uana superstitio.
A t non uana fuit, post paulo ab culmine tecti
Præcipites eandem mortem obiere simul.

In libello Aphrodision.

Heus lector absq; calculis babylonijs
Diuino, ubi hæc perlegeris, quid sentias.
Lasciua nempe, & molliter quæ pruriant,
Plusquam libelli Elephantidosq; & Lælij,
Quæ languido & demortuo excitent caput,
Hæc prorsus esse, autorem identidem leuem
Mollemq;, ni hominem forsitan nosti probe.
At falleris uehementer, an ne autore uel
Quicquam est modestius, uel est minus leue?
Occulta tandem causa, cur id fecerit.
Agnosce nunc uersatile ingenium uiri.

In eodem ad lectorem.

C ausa animi, curasq; leuans, nimiosq; labores
Parrhasius luctas pinxit & has Veneris,
A tq; alij, quos non est aspernata uetustas,
Nec famam inuenit non labor ille suam.

Si me audis lector, prima nil fronte notabis
Censor atrox, obeli cuspide terribili.

De eodem.

Si quem solicita atq; acerba cura,
Et cor quæ terit anxitudo iniqua,
Si tristis labor, atq; bilis atra
Vexarit, genio sacris peractis,
Ad nostrum uenias amice asylum,
Præsentiq; ope, subleuatus esto.
Naturæ omniparentis hic secunda
Vides semina, nobilesq; formas,
Suum quis homines genus propagant,
Rerum qui imperium gerunt potentes.
At nec sic oculum abstinete quæso
Præstanti sapientia catones.
Extra scilicet arbitros licebit
Me percurrere, & explicare frontem.
Solæcismus enim ut decet poetas,
Sic nostro in studio decet seueros,
Nam nocent nimiæ seueritates.
Possum præterea grauesq; morbos,
Et senes recreare lippientes.
Demum, si mulier, procul sed omen
Sit maioribus hostijs leuandum,
Qualiscunq; quidem, meas figuras
Horrebit, rabie feraq; erinny
Illam dicite plus nimis teneri.

Non ulla est medicina, iam parate
Extrema huic miseræ, expiate & urbem.
Monstrum non grauius uidebit orbis.
At esto hoc procul, at bene ominemur.

Ad Ferrandum *Austrium Pannoniæ regem.*

Quis ferat ex Ithaca fruges ad Gargara læta,
Vt permutata merce reportet equos?
Quis lentem Arsinoen? quis palmas portet Idumen?
Quis Bacchi laticem maßica ad arua ferat?
Quid Ferrande lucri accedet mihi? carmina mitto
Stultus ego ad musas Austriæ in emporium.

Ad *Vrsum.*

Næ tu es tam grauis Vrse, quam disertus,
Tam comis lepidusq;, quam seuerus,
Qui partem mihi non malo sodali
Fecisti modo dulciariorum,
Quæ tibi pueri tulere grati
Martinalibus optimis dierum.
Vt illos bene ament dei deæq;,
Dignos te pueros duce ac magistro.
Istos despiciamus Vrse, tristi
Cum supercilio suo catones
Osores charitum elegantiarumq;.
Istos cum uenia bona sinamus
Esse solicitos, & esitare
Lugubremq; fabam & ferum lupinum,
Aut betas fatuas, uel absq; oliuo.

At quos conciliant nouem sorores,
Hi læti ambrosiam atq; dulce nectar
Libant cum superis, Venusq; & omnis
Hos ornat charis, & facit beatos.

Epith. Ferrandi Dauali.

D auale, non alio moriendum tempore, quum iam
Ad summum euasit gloria digna uiro,
S unt nulla ultra hominum uestigia, te uocat ordo
Heroum, expletum uade alacris numerum.

Ad Ferrandum Eustochium.

T ot promissa ergo rapuere in nubila uenti,
Et proiecerunt in pelagus siculum,
N icoleoq; mihiq; paras expendere pœnas,
His quando expositos nos finis esse malis.
P erfidiam in socios & amicos Iupiter odit,
Vt quæ de uita tollit amicitiam.
H eus Ferrande uide, mutato nomine, ne sis
Dystochius, fueras qui prius Eustochius.

LIBER OTAVVS.

Epithalamium Cæsaris & Isabellæ.

M ensis adest nitidus, nitidis qui floribus omnem
Vestit humum, atq; ardens arma resumpsit Amor.
C ypris adest, roseisq; corollis floriferum uer
Vinctum, cum nymphis ter pede pulsat humum,
T er pede pulsat humum, longam ducitq; choream,

In numerum nymphæ ex ordine prosiliunt.
Omnia nunc rident, exultant omnia, mundus
Sublimi gaudens personat harmonia.
Stant circum satyri, stant panes, semideiq;,
Stant etiam magni dij, ueneranda cohors.
Quin ardent satyri, ardent panes, semideiq;,
Ardent & magni dij, ueneranda cohors,
Dij magni, quorum dux Iupiter, inclytus inter
Quos Cæsar factis & pietate nitet,
At magis ore omnis proceres supereminet. illum
Nymphæ ardent, quantum Pelea pulchra Thetis.
Fertur, ad æthiopas conuiuia læta frequenter
Ipsum olim cum dijs concelebrasse Iouem.
Nunc aliter uisum, hesperios, solemq; cadentem
Sæpius inuisit Iupiter altitonans.
Nempe aræ hic passim fumant, & odoribus halant,
Quin multo mens est purior hic hominum.
Omnis enim feritas, quam uidit cana uetustas,
Fracta est, non Marti uictima dira placet.
Quare huc confluitur late terraq; mariq;,
Non fluuij nymphas non uada cœrula habent.
Indefeßipedum currus sublimis equorum
Neptunus ducit dorsa per alta maris.
Non pater Oceanus cunctatur, non bona Tethys,
Quanuis sint curæ, cantieq; graues.
Quis referat pompam, longo cumq; agmine nymphas,
Quas ducit Nereus altor & ipse deum?

Quis uarios modulos, mira dulcedine cantus?
Tritonis concha ut dirigiturq; phalanx?
Latiuÿs campis concurritur undiq; , quondam
Certatim Pelopis non ita ad emporium.
Auroq; electroq; , atq; argento, atq; elephanto
Cælatos graphice est cernere quadriiugos.
Quis reges? quis diuina facie heroinas?
Non centena uirum linguaq; uoxq; ferat.
Lusitanorum fulsit quum deniq; sydus,
Quale ante auroram mane nitet Veneris,
Quale nitet sudo in cœlo Hyperionis astrum,
Amittuntq; suas sydera pulchra faces.
Cunctorum uirgo in se oculos conuertit, & unam
Suspiciunt nymphæ, suspiciuntq; dei.
Mirandamq; magis pater efficiebat, & idem
Rex, cuius uirtus maxima in orbe fuit,
Mirandam gemmæ, mirandam purpura & aurum,
Rarus & e rubris unio uectus aquis,
Quas domitis pater altus opes & frater ab Indis
Iussit ad Hesperios classe potente uehi.
Mirandam phaleræ, Vulcani opus, & labor ingens,
Arte smaragdum adamas implicat eximia,
Virgineos adamas expugnaturus amores.
Bella hæc lemniacum non latuere deum.
Quanquam auro hesperÿ telluris munere abundant,
Atq; adeo est flaui diues harena Tagi.
Lusitana ratis feruentem intendit in Austrum,

Metamq; antiquis transijt impositam,
Antea & ignoti æthiopes panduntur, & indi,
Antipodesq;, domus panditur Oceani.
Hinc tantum gemmæ auectum, tantumq; metalli,
Quantum fors Orci non habet ipse deus.
Non gemmas Cæsar miratur, dona superba
Vulcani, in dia uirgine totus erat,
Hanc oculis lustrat, perfecta uidetur ad unguem,
A summo ad calcem uertice tota placet.
Sed postquam ignis edax pectus descendit ad imum,
Vinci ante ignarum uicit inermis amor.
Poscenti Augusto permisit frater, & idem
Rex nuptam, Augusto quis neget æqua dare?
Ipsa etiam Augustum, paribus percussa sagittis,
Exoptat uotis mente Isabella pari.
Audierat fatis portendi iam sibi magnum
Augustum, uirgo credula fata manet.
Omnis dempta mora est, per aquā iuratur & ignem,
Sol raro uidit fœdera pulchra magis.
Inuidere dei, nymphæ inuidere nitentes,
Mutassetq; suum Cypria loripedem,
Nimirum iuuene & rerum domino. sed & ipsam
Fortassis uoti Pallada pœnituit.
Dissimulant tamen, & choreæ miscentur, & omnis
Perstrepit exultans regia lætitijs.
At sol ut fuluum occiduis caput abdidit undis,
Et crines rutilos Hesperus explicuit,

Musa refer uinumq; uetus, nectarq; deorum,
Et maiestatis cuncta referta deum.
Vt tandem lusus finem reperere procaces,
Et modus est epulis factus & ambrosijs,
Ecce puellarum duplex chorus astitit inter
Heroum mensas atq; deum tripodas.
Parcarum reor alternis dictata canebant
Non sine diuino numine carminibus.
Ferte faces pueri, spinos incendite, non est
Cunctandum, sua nam tempora poscit Hymen.
Flameolum afferto matrima patrima puella,
Quid stas? nam gallus temporis admonuit.
Sparge marite nuces, ni nummos spargere mauis,
En Hymenæus adest, io Hymenæe Hymen.
Quid refugis uirgo? uanum depone timorem,
Dura hæc non longa in tempora, mollia erunt.
Solicitas curas, paulumq; remitte seuera
Consilia, hæc hilaris non Hymenæus amat.
Cruda relinquuntur uiridi super arbore poma,
Mitia facta suo tempore lecta placent.
Pro, pueri insignes, & adorea ferte puellæ,
Et rerum & sobolis copia prosiliat.
Non belli minus atq; domi celeberrima crines
Cum sole extendat gloria sydereos.
Ex hedera & myrto contexite serta puellæ,
Cumq; Hymenæo adsit Bacchus & alma Venus.
Vtq; hedera & myrtus uiridi florete iuuenta,

Vtq; hedera alternis nexibus impliciti.
Quæ mora? sublimem famulæ trans limina ferte,
De thalamo en sponsus prælia inire parat.
Neu uos maiestas regum deterreat, ora
Iam fescenninis soluite carminibus.
Dij meliora tamen, procul hinc, procul este maligni,
Mens uigeat uegeto in corpore perpetuum.
Ore fauete omnes, linguam phlegethontius ignis
Vrat, quæ nouit non nisi triste loqui.
Parce metu, in nostro nihil est, quod pellat ab aris
Iunonis longo ueia puella sinu.
Nostra & in historijs qualis cantata feratur
Penelope exemplo & laude pudicitiæ.
Tanta & amicitia inter uos, concordia tanta,
Magneti & ferro quanta iubente deo est.
Vt phœnix solem, magnes ut suspicit Arcton,
Sic certent radijs lumina uestra suis.
Nox abit, heus famulæ, si sunt rite omnia facta,
Alcides noster soluere uincla cupit.
Quæ mora? adest uirgo, iam sunt rite omnia facta,
Despuite in molles cum prece quisq; sinus.
Nascatur proles fortunatissima, quæ uos
Quæq; ipsum superet Dardani Erichthonium.
Et transcendatis felices pensa sororum,
Deniq; sit quicquid somnia ferre queunt.
Iupiter omnipotens precibus bonus annue nostris,
Si te præcipuo Cæsar honore colit.

Quæq; præes partu, expers partus inclyta uirgo,
Et regina deum fer bona semper opem.

Ad Michaelem Maium.

Accipe Mai omen, si a Maio pulchra nitenti
Hymnus habet magni Cæsaris auspicia.
Sic te Cæsar amet, Mœcenas conciliato
Augusto uatem, uatis & officium.

Ad quatuor fratres Coppulas.

Ad portum unanimes boniq; fratres,
Dum soles tepidi rigente bruma,
Dum malacia, testulæq; passim
Inuitant scopulis inhæsitantes,
Mecum sæpe soletis aduenire
Apricatum, animi leuatum & æstus,
Nempe uos studijs laboriosis
Estis quatuor occupati, & estis
Vrbi præsidio, & saluti egenis,
Bini mirifici in foro patroni,
Bini ægros medica arte subleuantes.
Quam diuersus ego feror feroci
Deum numine? me siticulosis
Addixere, loquaculisq; musis.
Nec prosum mihi, nec meis amicis.
Aeque militiæ ac domi otiamur.

Ad Scipionem Capycium.

Non alio uisum numero mihi docte Capyci
Cæsaris inuicti scribere lætitias.

Consulto est igitur factum. seruare decorum
Nemo unus numeri plus adhibet studij.
Felices græci, quibus est concessa facultas
Dicendi a fatis omnia liberius.

Ad reges Christianos.

Creditum est, Maiæ puerum Argicidam
Sæpe demissum tenues per auras
Ferre mandata a genitore diuum
Præpete penna.
Nam Ioui sunt res hominum supremo
Maximæ curæ, & benefacta regum,
Nempe sunt reges genus atq; proles
Certa deorum.
Venit Aegistho a Ioue nuntiatum,
Non suo prorsus thalamo abstineret.
Pergat, ultorem scelerum ferocem
Affore Orestem.
Causa non longe absimilis, pelasgis
Troicum strauit pelagus carinis,
Strauit & graijs nuribus relictis
Frigida corda.
Hinc labores per decimum decembrem,
Fronte quum curua gemuit Scamander,
Ilij ad seros cineres, & usq; ad
Fata suprema.
Culmen ex illo imperij migrauit
Pulchram in Europam ex Asia, migrarunt

Dij salutares, dea consequuta est
Fors pede dextro,
Donec ignauos Orientis ora
Nacta ductores male sentientes
De deo græcos, iuga seruitutis
Barbara fleuit.
Militem tandem auxilio latinum,
Et cruce insignem Solymos petentem,
Pro scelus, græca leuis imperator
Prodidit arte.
Pro scelus, tantum stygius triumphum
Hostis elusit, monitis deorum
Impias Christo truculentus hostis
Clauserat aures.
Sic dolis uentrem crocodilus explet
Lachrymas fingens, ita blandiendo
Simplicem captat leporem, ac iocando
Callida uulpes.
Non tamen diui capiuntur ullis
Fraudibus nostris, manet at nocentes
Pœna, eo demum grauior, quo ad atrum
Serior Orcum.
Nos deis, quæ per scelera imputamus,
Accidunt nostra, & meritam ultionem,
Fataq;, astrorumq; necessitatem
Remur inepti.
Clara uos reges superum propago

Nuntijs diuum faciles dedistis,
Marte pacato facibus Diones,
Hactenus aures.
O mihi Smyrnæ lyra traderetur,
Laudibus ueris canerem, celebrent
Ore quæ pleno, resonoq; cantu
Postera secla.
Nobilem uicto Arsace contumaci,
Iam domo Christi, imperio ac recepto
Deniq; eoo, mea nunc adornat
Musa triumphum.

Ad Francum & Victorium.

Arma uirumq; cano, latij qui exordium Homeri
Esse negat, graij μῆνιν & ἄνδρα negat.
Vno Anchisiade, Aeacidesq; & durus Vlysses
Redditur, ingenio hic promptior, ille manu.
Librorum numerus quanuis exilior, ordo
Est idem, & modo non est eadem historia.
Verum ille Oceanus, noster, maria omnia, terras
Quæ feriunt albis fluctibus interius.
Laude sua haud quisquã fraudãdus, quum nihil obsit
Magno illa, ut uulgi est fabula, Virgilio.
Non aliter sensit de magno noster Homero
Vates, Aeneis non facit ipsa fidem.
France uides, Victorq; uides, quanti omnibus horis
Scriptores uestros musa latina facit.

De quercu miraculum.

P ræcipiti torrente, atrum quæ restuit imbrem,
Et quæ uentorum flabra inimica tulit,
V ertice contingens cœlum, nigra tartara fibris,
En prostrata iacet quercus amata Ioui.
N on uentis prostrata quidem, non icta securi,
Sed temere in faciem cernua pressit humum.
F leuerunt nymphæ, satyri fleuere comati,
Quos scæna, ardente est sueta fouere die.

Ad Ianum Fortium.

P lurima de nobis licet admiranda potest fors,
Deprimit eximios, erigit exiguos,
D eponitq; supercilium, fastusq; superbis,
Vim licet his auri flumina fulua ferant.
N on uiburna quidem uenti, lentasq; genistas,
Sed platanos, pinos, robora deijciunt.
N e te pœniteat mi Forti ignobilis oti,
Nam sæpe e summo uis animosa cadit.

Ad Pyrrhum Antonium Maranum.

Vna tu quoq; plusculis diebus
Paganus, puer es Marane mecum.
Num uita est tibi rustica cordi?
Nil cunctatus ad hæc, ita ore pleno
R espondes, tibi carcerem uideri
Vrbem, præ uiridiq; floridoq;
R ure, quod satyri, coluntq; nymphæ.
Quid si incommoda permolesta nosses.

Vrbis, quæ satyræ haud ferant trecentæ?
Quid si commoda perbeata ruris,
Quæ Phœbus facilesq; amant camœnæ?
Quanto tu uehementius probares
Tuum iudicium graue ac seuerum,
Non dignum puero, leuiq; causa.

Ad Lauram Messalæ.

Quæ mens, quisue animus tibi
Tandem Laura? meum tristibus obsecro
Messalam ignibus urere?
Non belle feceres, atq; adeo impie.
Pol uirgo faceres, suis
Qui te perpetuo plus oculis amat.
Ah Peneia, parcius
Vatem, parcius ac mollius usseris.
Ne ablega incelebrem chelym,
Præconesq; tuos, ne aonidas fuga.
Olim dissidium fuit,
Olim illa, illa simultas, odiumq; atrox.
O factum male, quis deus
In cœlo magis est clarus Apolline?
Nec tellus alium uidet.
Admetus locuples testis, & illius
Omnis regiaq; & domus,
Et syluæ & nemora & pascua pinguia.
Quin & certior est fides,
Nam clarum perhibet fama recens deum.

At Ladon liquido pede
Extinctum penitus sub mare detulit.
Quod discordia contumax
Virus Tisiphones disseruit soror.
Mansit perpetuusq; honos
Flammæ nobilis ac perpetuum decus,
Ornaturq; lyra, arboris
Dilectæ folijs inclyta, laurea
Cingitq; aurea tempora,
Nec tantum puduit, nec pudet hoc deum,
Quo nil est sapientius,
Exemplo, reor, ut post foret omnibus.
Nulla est uis adeo potens,
Quæ aduersa steterit fronte Cupidini.
Ambos nec latet, utpote
Phœbiq;, & pueri uos, pharetram igneam
Qui ignitis humeris gerit,
Formidant quem homines, quem metuunt dei,
Ex illo usq;, satellites,
Quam pœnam dederint ista ferocia,
Ista immitia pectora
Non parentia tam terribili deo.

Ad Basilium Sabatium.

Nos quod habent isti pretij nullius, & esse
Terræ aiunt natos, tu quoq; fac nihili.
Exuuijs certe Basili superamur, & auro,
At longe interna uincimus arce animi.

Deponant isti melibœam, purpuram & aurum,
Nil erit externo uilius in populo.
Contra, non unquam præ dius fulsit Vlysses,
Quam quum feminecem condidit alga uirum.

Ad Hieronymum Serenum.

Credere quæ mira fecit bonitate supremus
Rex hominum, & rerum cœlicolumq; pater,
Hoc, intelligere est. facile intellecta sereno
Pectore lucescunt, mensq; ibi læta manet.
Illa uelut tenebris, præ oculis quæ forte tenemus,
Quærimus, aduentu lucis aperta patent.
Cui rerum ratio nota est Hieronyme, *credit*
Hic animo certo, & numina certa colit.

Ad Delon insulam.

Delos, quis ego te nominibus rite uocem, mihi,
Quando multiscia, & diua quoq; es, significes uelim.
De te mira feruntur, pelagi quin stupor es merus.
Nam quæso quid eras, quum exeruisti caput arduum?
Nunquid de nihilo? uisceribus num scopulus maris
Reuulsus penitis? tum quibus innixa ualentibus
Es tibicinibus? tempora quis longa pepercerint,
Et radicibus altis cyclades undiq; uinciant.
Nam per dorsa maris cærula, fert fama uetustior,
Latonam latebris quum acciperes, te fluidam ac uagã,
Matrem ob pignora præsolicitã, prætimidam, inclyta.
Scrutari hæc adeo mira quis unquam potuit, licet
Vrinator, & ipse eximius de grege Protei?

Per miracula te diua precor, nomina per tua
Non uulgāda homini, impuneq; nusquā edita perperā,
Sic non ulla nouercæ ira, odiumq; insaturabile
Vexarit, precibus aggredere, amplectere Apollinem,
Vt parcat pharetræ, romulidas iam petijt satis
Telis tristibus annos prope septem, atq; adeo amplius,
Quum lux Oceano haud occuluit se indiga funerum.
Tandem parcite, uestrum est misereri siquidem dei.
Ad uestra en genua procidui uota recepimus.

Ad Coriolanum Martyranum.

Multo equidem plus conscripsi quam forte putaram,
Pro siren uexit longius in pelagus,
Falce opus in ramis resecandis, quos sine fructu,
Et sine laude sua Coriolane putas.
Te quando elegi censorem, postera si ætas
Offendat quid iners, imputet illa tibi.

Ad Marcum Antonium Carlinum.

Cur fuerit cordi mihi rerum lanx uariarum
Quid causæ tandem Marce fuisse putas?
An quia tam stomacho fuerim teneroq; leuiq;,
Vt commutandæ sæpe dapes fuerint?
An quia perpetui lassant magis æquora campi,
Atq; uiatori fit uia longa magis.
Sed modo si syluæ, uiridi modo uertice colles
Occurrunt, breuior fit labor, atq; uia.

Ad Scipionem Capycium.

Dum latitat uirgo studijs intenta Mineruæ;

Merx cara est, magno & Phædria quam redimat.
Hanc olido mox prostantem sub fornice, uili
Non emat asse quidem, nam uenus omnis abit.
Acrisij Danae tectis inclusa paternis,
Omnibus anteibat candida uirginibus,
Carminibus celebris, sed ubi est corrupta tonantis
Fraudibus, hanc uates destituere sacri.
Inachis illius stupor æui, argentea uirgo,
Nubipotentis amor, magnaq; cura Iouis,
Quondam Argo uigili, & uigili adseruata dracone,
Nunc Phorci ad natas exposita est misera.
Et Ioue Mercurioq; & Bellerophonte Capyci
Est opus, excelsa hæc non mea dextra petit.

Ad Cosmum Pinellum.

Non uotis precibusq; lacbrymisq;,
Deorum auxilia incolarum olympi,
Vt putant uetulæ atq; templilingæ
Istæ, quæ Iouis aucupantur aures,
Sed Pinelle parantur & labore,
Et cura, uigilando, consulendo,
Recte deniq;, nauiterq; agendo.
Quid mirum est igitur, si opes sequuntur
Te uel sponte sua, tot atq; tantas
Res, læte atq; adeo illaboriose
Si potes tribus explicare uerbis?

Ad Christianos.

Iupiter e cupis in nos letale sinistris,

Quod pate diffundi, deijcit heu miseros.

Non bella intestina satis, furit altera Erinnys

Ecce fames, ecce & tertia dira lues.

Mox e diuerso cædit Pan terga flagellis,

Nec quisquam, & præceps fit fuga, persequitur.

Externum uideo, ni mentem aduertitis, hostem,

Qui sumat pœnas tot scelerum meritas.

Ad Marium Galeotam.

Annus quid possit scalaris, terq; nouenus,

Auertant diuum numina dextra Mari.

At Galeota tibi sunt nota oracula Phœbi

Fatidica usq; etiam matre ab Hyperborea.

Ad Castricum.

Crimina iniusta tibi tandem constantia uicit,

Inuidiam uicit Castrice amice fides.

Ad Theombrotum.

Aeternas animas fore crede Theombrote, sed ne

Propterea te alto e culmine præcipita.

In Trullum.

Quid ferox minitaris, ac Tiphoeus

Si sis, centimanus Gygesue Trulle?

Iota i hominum grui minatum.

In Rufum.

Es totus fel, atq; absynthia Rufe, uideri

Et uis cœlesti dulcior ambrosia.

Es uomica, es forica spurca, & uis Rufe uideri

Deliciosior & blandior ante deos.

Esq; rapacior harpyis & erinnybus Orci,
Et splendore ipsum uis superare Iouem.
Dij te & diuitias male perdant tam male partas,
Perniciemq; luemq; , & patriæ opprobrium.

Ad Perillum.

Næ tu plus sapiens satis Perille es,
Qui deos superos rogas, petisq;
Certa, & quæ digito indicare posis.
Non mater fatua illa sit putanda?
Quiq; delphica condidere templa?
Qui, quod foret homini optimum, precati
Mercedem retulere singularem,
Nanq; est reddita mors repente merces,
Merces supplicijs sat apta ineptis.
Multo numina liberaliora
Sunt his, qui petere sciuntq; & audent.

De animi constantia.

Gratias somno meritas habemus,
Qui nigris alis ueniens ab Orci
Faucibus, sublimi animo supremis
Me fore fatis
Somnio horrendo docuit. uidebar
Arbitrum sæui Phlegethontis alto
Corde & inuicto, dubia atq; atroci
Sternere pugna.
Mens adhuc horret meminisse, quantum
Tum mihi exhaustum fuerit laboris,

Quæq; ab ardenti caput hostis atrum
Vulnere flammæ
Hauserint. non sic rapidi coruscant
Quum Iouis dextra eiaculatur, ignes,
Inter & densas nebulas olympus
Scinditur ardens.
Quum mihi stamen Lachesis supremum
Neuerit, porta pater & deum rex
Cornea dexter facilisq; mitte hæc
Fortia uisa.

Ad Syluanum.

Hanc Syluane tibi muscoso in cespite porcam
Cædimus, ut uiuo sanguine tingat humum.
Lacte fauoq; nouo en pinguem mactauimus aram,
Pampineis sertis tempora uinctus ades.
Lætus ades, tristemq; manu, quæ finibus arma
Concutit, inuicto nomine pelle deam.

Ad Annibalem Baronem.

Syluanum ueneremur, atq; rite
In nostros precibus uocemus agros,
Vt fines tueatur, emicetq;
Pax, concordia, fraus dolusq; abesto.
Te inuitant sacra, mi Annibal uenito.

De speculo.

Quisquis es, aut summa scandens, aut infima calcans,
Exemplum uitæ sæpe cape speculum.

Si nil in te est non laudandum, enitere totis
Viribus hoc ipsum perficere officijs.
Si bona naturæ, si desunt corporis, omni
Contende ingenio sufficere officijs.

Ad Domicillam.

Qualis amor noster fuerit Domicilla, *perenni*
Testificabuntur tot monumenta fide.
Te informem accepi, sine re, sine nomine, linquam
Ornatam rebus carminibusq; meis.
Non parsum impensæ, non diua laboribus ullis,
Te dum te dignam restituo in speciem.

In Rufum.

Siue opus est medico tibi, seu tonsore, uel atro
Fullone, aut siquid uilius esse potest,
Carmine concilias, mercaris carmine, parcens
Rufe opibus, quæ te tam male semper habent.
Vt pollinctore, & sit uespillonibus usus
Omnibus ante tuis, tuq; supremus eas.

Ad D. Mariam & D. Nicolaum.

Cœlitum regina, Iouisq; mater
Si tibi rerum decimam mearum
Rite persolui, ut Domicilla *testis*
Lauria nympha est.
Suntq; Pompeij *nemora atq; colles*
Læta spectantes Clanij, *& bicornis*
Lata Vulturni, *nitida ac* Maricæ
Aequora testes.

Tuq; Pinetis caput in niuosis
Occulens canum, pater es locuples
Testis Apennine, tua atq; testes
Per iuga nymphæ,
Vt mihi olim Nicolei ouile
Cum grege affecto penitus ueterno
Traditum ambustum bimari in recessu,
Hic ubi Crathis
Aesaro occursat tacite profundis
Abditus terris, Adriæ & tumentis
Fronte Neæthus Sibarisq; curua
Littora tundunt,
Fortis Alcides uelut, adlaborans
Ac parum parcens opibus paternis,
In nitorem restitui, perenni
Laude nitentem.
Gratiam diui meritam referte.
Pura mens præsit, ualidum obsequatur
Corpus, hoc instar mihi maximorum
Imperiorum.

Ad Petrum Pheretrium.

Haud secus atq; Iouem decet hoc te nobile nomen,
De pheretro extinctos si reuocare potes.
Illi mors cæsis ducibus, tibi uita Pheretri
Ob tot seruatos nomina clara dedit.

Ad Iulium Vitellum.

Ante Phryga Aenean præclara Vitellia gens est,

Ipsum quod nomen nobile significat,
Inde genus ducis, miris quod laudibus ornant
Iuli, quæ in cunctos congeris officia.
Hæc sæpe expertus, tacita testudine præter-
Mittam? non ego, sed carmina cana canent.

Ad Nymphas laurias de Merine Sanseuerinia.

Nymphæ fontanæ uobis formosa Merine
Lecta suis manibus florida serta tulit.
Inuisit uestros nitidos nitidissima fontes,
Haud puto uos uret tristior inuidia.
Vos dominæ labris latices stillate niuales,
Siue uolet niueas illa lauare manus.
Felices nymphæ, quibus est concessa facultas
Spectandi lusus deliciasq; deæ.

Ad deos montanos.

Antraq; nympharumq; domus, fontesq; sub altis
Rupibus, & uiuis proxima Laurus aquis,
Tuq; potens syluis, Maiæ clarissima proles,
Panq; pater, si uos rustica dona mouent,
Hæc læti liba, & plena hæc carchesia Baccho
Accipite. hæc uobis munera lecta fero.

Ad Musettam.

Iam me, iam uitæ piget, ante ac pœnitet actæ,
Actæ sub dominæ Cypridos imperio,
Subq; alijs, diuæ qui parent, mille tyrannis.
Pro iuuenum indignum ac flebile seruitium.

Illæ heu quum subeunt curæ, noctesq; diesq;,
Plenaq; corda illis solicitudinibus,
Insomnes noctes inter suspiria, & inter
Igniuomos gemitus, cordiuorasq; faces,
Horresco, gelidusq; emanat pectore sudor.
Quæ uox, ferrea uox, illa nefanda ferat?
Non rerum ratio, uitæq;, amentia discors
Sed temere imperitans omnia præcipitat.
Inq; ignes, inq; arma ruit uis incita amoris,
Offusa inq; oculis, inq; animo nebula.
Non maris in cœlum pugna, insanæq; procellæ,
Ventorumq; omnis conglomerata manus,
Non acies cœli, tonitrusq; & tela trisulca,
Ac tota incendi regia uisa Iouis,
Tantulum abydenum iuuenem remoratur amantem,
Quo minus in medium se iaciat pelagus.
Sestias hunc illi uirgo succenderat ignem.
Hæccine, dij superi, uis in amore uiget?
Quanta senectuti debetur gratia, quæ nos
Ex hisce in portum fluctibus appulerit.
Heu cur tam longo distant, gens optima, tractu
Hessenij, quos non macerat ulla uenus?
Res miranda quidem, non illam fœmina terram
Intrat, & est populis terra referta satis.
Hic pietas, hic sancta fides, hic omnia frugi,
Hic ego crediderim uere habitare deos:
Quippe ubi nulla uenus, nulla & malesuada uoluptas,

Et rerum tristis fœmina pernicies.
Cunctorum hæc semper caput & sentina malorum,
Vel repete annales condito ab orbe sacros.
Hinc bella, interitus populorum, euersaq; regna,
Consperſæq; undæ claſsibus æquoreæ.
Hæc Aſiæ Europen toties concurrere adegit,
Nec uaſtis Libyes æſtibus abſtinuit.
Quid refero externa, aut Thebes, aut funera Troiæ,
Quicquid & antiquis creditur hiſtorijs?
En grauis Italiam differt erumna tot annos
Ferro, igni, tetra peſte, rigente fame.
Heheu quam metuo tibi Roma, ſuprema malorum,
Tot circunſiſtunt te miſeranda minæ.
Parthenope læto aſpiciat te Iupiter ore,
Fortunæ immitis nam timeo inuidiam.
Quo fato inſubres noſtri petiere hymenæi,
Quos ſtyx flebilibus uocibus accinuit?
Euolue annales Muſetta, & fœmina ſemper
Fons erumnarum, pes fuit, atq; caput.

Ad Iulium Boſonem.

Prata floribus mihi
Non picta Boſon, non placet ſuſurro
Molliore leniter
Quæ ſpirat aura e montibus propinquis,
Non nemus uirentibus
Vmbris opacum, non aues canoræ
Cantibus deos ſuis

Nymphasq; mulcentes, sub æstuantis
S irij caloribus,
Quum terra rimis funditus fatiscit.
N on aquis nitentibus
Fontes perennes laurijs in oris.
N on camœna, quæ antea
Erat leuamen omnium laborum.
H eu maligna tempora
V exant quietam candidamq; uitam.
H inc furit ferox fames,
Hinc pestilentia, ardor hinc Gradiui
M iscet omnia asper, &
Vulgo cadunt mortalium cateruæ.
Q uodq; uel graue est magis,
Crebris flagello Pan ferit tremendo
I ctibus pauentium
Abiecta corda. atros hydros uicissim
C onferunt Erinnyes,
Et ore latrat Cerberus trifauci.
A nnuæ retro uices
Versæ minantur deniq; omne dirum.
N am quid aspra uult hyems
Sublime Cancro iam tenente cœlum?
E n deum strepit tuba,
Nihil suprema non minatur orbi
T empore hoc miserrimo.
Quæ morte multo est peior heu manet nos

Vita, ni ferat manu
  Opem ualente Iupiter supremam.

Ad Paulum Palmerium.

Portenta sunt portenta Palmeri, quae heu
Videmus oculis, pro supreme Iupiter
Caritura porro ad posteros omni fide,
Portenta procuranda magnis hostijs,
Sub dio haberi cur senatus debeat,
Lustranda ad oppida, atq; placandos deos.
Horret uidere sol scelera mortalium.
Datura poenas ultimis cruciatibus,
Obnubit ita frontem iubarq; lucidum.
Et horret adeo Cancer obliqui gradiens,
Et celsa coeli ad astra toruituens Leo,
Sedes tenentes feruidis ardoribus
Quondam perustas, frugibusq; idoneas.
Mutata sunt nunc omnia, ac uersae uices
Rerum, Ceresq; flaua iam, corrumpitur
In latifundijs imbribus frequentibus,
Crebris procellis, ictibus crebris Iouis,
Ira sororis impotentis in uirum,
Crassis, rubrica pestilente, nubibus.
Subsedit arbor Palladis, Phoebi uirens
Est tacta laurus perstrepenti fulmine,
Vltroq; quercus corruit Ioui sacra,
Concessit in noctem dies, obscaenae aues
Vrbes frequentant, tristeq; ostentum lupi.

An fors repente antichthones facti sumus?
Formica prudens semitam tenuem terens
Oblita opellæ & horrei, segnis sedet,
Auesq; cantus atq; prolis annuæ,
Feræq; sunt oblitæ amoris mutui.
Natura prorsus ipsa iam parens stupet.
Et præter hæc tristes Erinnyes faces,
Tetros colubros nostra in ora concitant,
Ditisq; cornicen tremenda nuntiat,
Luem, famemq; martiæ iræ exaggerans,
Tum tela tincta suggerit hydræ sanguine.
Extrema iam regina patitur urbium.
Formidat atqui mens referre cætera.
Quid ni supremos affore autumem dies.

In fortunam.

Non dum sciebam eousq; progredi curas,
Tantas dolorum ac posse sarcinas ferri.
Fortuna docuit me magistra nunc demum.
Tantum dolebam incommodis leuibus olim,
Si uina sint diffusa, mortua ancilla,
Si triste, triticum momorderit frigus.
Heu nunc lues maligna tradidit leto
Suauißima mihi quæq;, proximos caros,
Dulcesq; amicos. quin iniqua conatur
In me inijcere manum. attamen nimis falsam
Te ratio habet, sæua nihil auferes nostri,
Virtutis agmen quandiu latus stipat.

Olea in uitem.

Haeccine promeritae tandem mihi gratia uitis,
Quae te humilem excepi uerticem adusq; meum?
Excedis tabulata procax, multoq; dracone
Amplexa altricem luxoriosa necas.
Nil benefacta mouent? sic Palladis immemor irae est?
Cui baccas prohibes me impia ferre sacras.

De uino & oleo.

Sunt gemini latices, humanae symbola uitae.
Dum regnat Bacchus, uicta Minerua iacet.

De testimonio christianae lucis.

Octaui Tyberiq; oculi per noctis opaca
Cernebant, quidni credimus historiae?
Terrarum dominis, caeli rex symbola lucis
Prima dedit, caecis symbola pectoribus.

Ad Fabium Capellam.

Non Crassi mihi latifundia opto,
Non gemmas, opulentiamq; Gygae,
Hiri non ego scorteam famemq;,
Sed nihil nimis est Capella cordi.

Ad Ianum Franciscum Denticem in morte Elysy patris.

Gens Thracum sapiens mortales accipit ortus,
Natosq; optatos tristitia & lachrymis.
At contra, occasus, & ineuitabile fatum
Laetitia, & patrio carmine prosequitur.
Plena malis homines accedunt limina uitae,

His mors præsenti subuenit auxilio.
Ergo non lachrymis uiolemus funera Iane,
Præsertim quorum candida uita fuit.

Ad Hieronymum Geuaram.

Commune cur incommodum minus premit
Priuo, uoluptas priua quum sit gratior,
Dicant maligna nostra secla, quæ sciunt.
Nobis dolere, prodere tamen non licet.
Geuara, nil miserius homini libero est,
Quam faucibus nequire compressis loqui.

De malignitate temporis.

O si iterum uideat rutilum iubar Heracletus,
Et solis uideat lumina Democritus,
Ii sunt iam mores, ea tempora, ut ilia rumpant,
Hic risu, ille alto ac perpetuo gemitu.

Ad Albiam.

In uillam Licini *secundum* Acerras
Diuerti, iubar oculente sole.
Perlaute accipimur, fatemur Albi.
Sed V*ulturnus atrox rigente flatu*
Dum flaret, rapidusq; Apeliotes,
Fumus tota triclinia occupauit,
Non qualis tamen e focis sabæis,
Aut cedro redolente balsamoq;,
Sed is qui est potis esse permolestus.
Cœnatum cubitumq; ut Aetnæ in antro est,
Quum fumat penitus, Iouiq; regi

Cudit fulmina Mulciber caminis.
Adhuc de lachrymis Seueriano.
Tument, pro facinus, tenelli ocelli.

Ad Bassum.

Si non uis mihi pertinax uideri,
Aut si non laqueum nota es perosa;
Confestim mihi redde Basse librum.

De urbis calamitatibus.

Tandem proterua fata princeps urbium
Heu Roma te accepere pessimis modis.
Aduersa numen euocatum iam tenet;
Vt os reclusit perminax deus. iaces
Funesta præda & hostium ludibrium,
Et præda, quantæ præpotentis Ilij
Sardisq; præda uix quota esset portio.
Nec Brutus ullus aut Camillus nobilem
Exponit animam pro penatibus suis.
At quis putasset Arsaces illos sacris
Hos esse tibi denuntiatos uatibus.
Non credidisses forsan ipsi Apollini
Hæc Roma, ceruix cuius astra æquauerat.
Nunc facta, misera iaces, sepulchrum ciuium
Cadauerumq; tristium, quæ dudum eras
Et elegantiarum, & altrix omnium
Rerum bonarum, magnifica, pollens, potens.
Quæ Roma te expiet manus? quæ pristinum
Potentia instauret reformet in decus?

Quis stupra sacrilegiaq; cædesq; explicet?
Fœdata templa, dissipata sunt sacra,
Simulacra, signa, fracta conculcant pedes,
Quæ pretia præpotentium æquent urbium.
Despecta, deformata linqueris feris
Coruisq; ulturibusq; pabulum, uice.
Qui nunc sacrorum carminum dira occinunt.
Strigesq; & ululæ occuparunt culmina,
Fecere quæ olim ipsis uel inuidiam deis.
At desino, nam lingua mensq; substitit
Referre, credant quæ nequaquam posteri.

LIBER NONVS.

De conualescentia Parthenopes.

Tandem dij superi uos audiuere uocati,
Estq; salus euge reddita Parthenope.
Heu heu dira lues dederit quæ corpora leto,
Non sinit immitis commemorare dolor.
Ad reditum ciues accingimur alite dextro
Experti patriæ commoda ab exilio.

In puerum uoracem.

Ficus surripuisti inique, nequam,
Fur, trifur, puer improbe ac scelesle,
Vt sint exitio maloq; fato,
Quales, quod fuerant dapes asello,
Quæ seni interitum tulere risu,

Quales excidium catonianæ
Quæ Carthaginis arcibus tulerunt.
Excernas rabie & cruore mistas.

De mirabili prodigio.

Procera quercus uiribus præstans humum
Cadens momordit, causa nec patuit mali,
Sed ossa per cucurrit intrepidus pauor.
Fudere cimbri mox amara toxica,
Nec dum cicatrix uulneri spem affert bonam.
Num surget olim ui refracta barbara?

Ad Adrianum Brantium.

Omnes te Branti callere fatebimur artes,
Si quid sit dicas, sum, deus, atq; monas.

In puerum.

Heus nequam puer, auribusq; surdis,
Pergis non facere imperata? sed non
Viuam, si capio, usq; battuendo
Si te non redolo affabre, examussim,
Qua regum patinæ solent nepotum
Murenæ ratione polypiq;,
Exossabere totus artuatim.
Habes quæ loquor? ultimumq; dico,
Ne dicas tibi non fuisse dictum.

Ad Budæum & Erasmnm.

Quem potuit non dira lues, & erinnyes Orci
Conficere, aut Martis ira, feroxq; fames,
Confecere mali infelicia scripta poetæ.

Non uirus parit hoc Africa deterius.
Iam pereo, toto soluuntur corpore uires,
Vt tristi illa Orco differat ira Iouis.
Ni uos fertis opem Budæe & Erasme, salutis
Spes omnis siculum decidit in pelagus.

De caritate annonæ.

Non præpotentibus satis uisum est deis,
Tot Martis inter fulminantis uulnera,
Interq; fortunæ execranda spicula
Nos fruge, & orno destitutos fœnore,
Multasse male, fructuq; felici, quem agri
Olim ferebant consiti docta manu.
Heu poma syluæ denegant etiam sua,
Rerumq; uallat omnium penuria.
Auersa tellus ora nostra, quæ prius
Mater benigna fuit, nouerca diffugit.

Ad Cererem.

Hæc tibi serta Ceres, spicas Eumoschus inanes
Dulci fraudatus spe iacit ante fores.

Ad Bacchum.

Sub pampinorum Bacche sterilibus scænis
Cantare tragicum, funebre aut libet carmen,
Exucta uix quando imbuit lacus uua.

In nequam sacerdotem.

Hem cui lupo commisi ouem miser? qui rem
Sit belluatus, gurgitum omnium gurges,
Penu Charybdis, Cerberus macellorum,

Somno studens tantum, gulaeq; sus spurcus.
Natura cur hunc carcinum tulit terris?
Ceruice fracta casidem miser quaero
Nunc demum, ubi salutis est defuncta spes.
Ineptus ego, qui nomini fidem foedo
Non, praeferenti habui domesticos mores.
Mea culpa, quum persoluit iste manduco,
Quod fronte turpi nomen est uorax fassum.

Ad Alexandrum *Caesarinum Card.*

V *ulnus an ut refricem, languentem mittimus urbem*
Praesul caesariae flos columenq; domus?
N *on equidem, uerum florentem mox ubi cernes,*
Dulce recordari fulmina sit Nemesis.

Ad Iulium *Tolphium.*

I *am glacialis hyems syluis decussit honorem,*
Nec dum desaeuit perniciosa lues.
E *n uires reparat Iuli, utrusq; resumit,*
Sub radijs Cancri quid meditetur, habes.

Ad deos.

Quae finis ergo? nunquid ira caelitum
Tandem misellis ultimum mortalibus
Decreuit exitium, atq; rebus omnibus?
Quum quotidie sit peius ac pridie fuit.

Poeta respondet.

N *on Iouis irati cessabit dextera, donec*
Sordes manebunt obstinati seculi.
M *oribus euersis, scelerum tanta orta procella est,*

Vt expiare longa non sat sit dies.
Terq; quaterq; ergo decumandum corpora leto,
Miseris & exemplis, fame, ferro, lue.
Non ab aruspicijs nos haec dixisse putandum,
Res ipsa quum oculatissimam facit fidem.
Moxq; sequens aetas diuum ut refrixerit ira
Ea comprobabit solitudine urbium.

In mulieres, ad Federicum Musitanũ.

Seu casta est mulier, seu non Federice pudica,
Nascitur in terris utraq; pernicies.
Non Helenae magis exhibuere negotia Homero
Furta, pudicitia ac aspera Penelopes.
Syluia Virgilio, Dido, Lauinia uirgo,
Quae conflauerunt horrida bella, uides.

De Alexandro Priami.

Quae deceant regis sobolem post sceptra superba,
Iliacum Parida haec omnia nobilitant.
Egregius iudex, Helenae formosus amator,
Idem interfector magnanimi Aeacidae.

In nequam sacerdotem.

Viscatis manibus sceleste, & usq;
Hamatis, uepriumq; more, quicquid
Contingis, retines, nec ulla prorsus
Est tibi ratio, aut modus rapinae,
Antistes penitissimi barathri,
Et tractas sacra, pestilens uorago
Impuris manibusq; & ore foedo,

Nummus cui aureus hostia est opima,
Quem tantum uenerans atq; adoras.
Discedens deus at retorsit in te
Ardentes oculos, dabisq; pœnas.
Non sat quæ gula condidit cloacæ
Ventris ingluuie & uoracitate
Manduco: unde oris refers mephitim,
Orci stercore pestilentiorem,
Insigne inde adeo refersq; nomen.

Ad Ant. Minturnum.

Quæ mortalibus attulit misellis
Tot incommoda, tot neces, maligna,
Atrox, dira lues, tibi illa totq; &
Tanta commoda contulit, cupitum
Secessum, otia cum bonis camœnis.
Assequere ubi largiore cornu
Quæ sunt polliciti audiente Phœbo
Gorgias animosus, Hippiasq;.
Non lædit socrates maligna pestis.
At Minturne redire quum licebit,
Ne fraudaueris osculis amicos
Congressu lepido illo & eleganti,
Quo refers Academiam & Lycium.

In pestilentia.

In labe quod spectaculum atrocissimum
Præclara sol auertit unde lumina,
Raptis uidere infantulos est matribus

Parcarum inexorabili libidine
Hærere mammis frigidis, ibiq; mox
Efflare animulam. morte quod grauius malum est.

Ad Galeotum Carafam.

Cum sceptro solet imperioq; superbia frontem
Tollere, & incuruis cornibus impetere.
At tua quæ primis uirtus effulsit in annis,
Hæc manet, & flores dulcia poma ferunt.
Hæ sunt diuitiæ, diuina hæc uirgula, nati
Qua regnauerunt progenieſq; Iouis.
Non uereor Galeote tuæ per tempora uitæ
Ne non incedas, qua tibi recta patet.

Ad Ferrandum Carafam.

Fortis ut Alcides oneri succeßit, Atlante
Iam fesso, mundi mole sub astrigeri,
Sic tu succedis rebus Ferrande paternis,
Et quas herculeus sit superare labor.

Ad Elysium Carafam.

Cuncta ad salutem signa langore in tuo
Erant profecto candidißime Elysi.
Vnum uerebar, ne maligna tempora
Non tale ferrent germen erigere caput.

Ad Iacobum Ant. Cæsarinum.

Tu uide quid agas, amore quando
Musas prosequeris seueriores.
Isto tempore crede Cæsarine
Non alea leuis est amare musas.

Ad Ant. Tibaldeum.

Maximas tibi gratias habemus
Antoni charitum & pater leporum,
Dignaris quia musico me albo.
Istis sit male, qui pios poetas
Ne uilis faciunt quidem terunti.

In malos sacerdotes.

Pro, secli iniqui perditissimos mores.
Morum magistri cœlibes sacerdotes,
Quis templa demandantur & deum sacra,
Cogunt fateri crimina, atq; castigant,
Fecisse quæ libentius uelint ipsi.
Multant rapinas quam miserrimis pœnis,
Promiscue ipsi quum profanaq; & sacra
Manu rapaci differant, trahant, uexent,
Pleni uenenis carcini graues orbis.

Ad Rufum.

Tentaris laterum miselle Rufe
Persæpe intolerabili dolore,
Nec belle est pedibus tamen uicissim,
Et me in auxilium soles uocare.
Ego non ope simplici iuuabo,
Si morem mihi gesseris. salutem,
Olim quam Proculeius ille Caius,
Epoto potes inuenire gypso.

Ad amicos urbanos.

Inepti amici nos uocatis inscitos?

Qui pestilentiæ ut atra tela uitemus,
Et urbis ulcera atra, carcinosq; atros,
Hanc rusticam tam degimus diu uitam,
Proculq; uobis, patriaq; præclara,
Porroq; longino, allioq; capitone
Perquamlibenter, brassicaq; montana,
Balanisq;, tyberiolisq; uescimur læti,
Dum cyppus instar scopuli in igne pellucet,
Niuesq; canæ uestiant licet montes,
Fremantq; uenti, & culmen increpet grando.

De Antæa Romana.

Vidit ut Antæa armatos irrumpere in ædes
Expugnaturos castra pudicitiæ,
Certa mori armatur dextram mucrone corusco,
Nec uotis Pallas defuit armipotens.
Hostibus occisis cecidit confossa uirago,
Quæ nitet icaria clarior Erigone.

De pluuia sanguinis.

Quod sanguinem brumæ umbilico perpluit
Diris procellis, alcyon dum congerit,
Nidumq; proli cærulæ tuto locat,
Quæ facta procuratio? quæ uota dijs,
Amoliendis cælitum sæuis minis?
Quæ facta morum tristium emendatio?
Quum detur ultra haud amplius procedere.
O corda cæca, o execranda tempora.
At falsa sint quæ obnuntio, & uanus ferar.

In lupum.

Mutare uulpem posse,uel lupum pilos,
Non posse mores,ille qui dixit, fuit
Apprima sapiens. at ego dementissimus,
Qui prosequutus laude sum pulchra lupum,
Qui in me tetendit proditor laqueos suos.
Tanto ille fluxa perditissimus fide,
Quanto ego ferar poeta mendacissimus.

Ad Colotium.

Iam uer se hibernis formosius explicat umbris,
Et sol renidet aureus.
Pubescit tellus,læta gaudetq; iuuenta,
Auesq; lætæ concinunt.
Sed quando nobis infesto lumine fata,
Rerum minantur ultima,
Hinc exlex clypeum mauors quatit ense corusco,
Profana,sacra differens,
Illinc ora fames formis squalentia miris
Deformis orbem circuit,
Hos inter,mediam labes se immiscuit atra
Funeribus omnia implicans,
Lætitia omnis abest,& torpent corda Coloti
Metu supremo frigida.

Ad Elysium Vopiscum.

Vopisce musis non amicus ultimus,
Vt Accios,Lucillios,
Priscosq; mittam musicos,nosti probe

Diuersa uatum pectora,
Suos & esse cuiq; praescriptos modos.
Non nulla condonaueris
Vopisce nobis dicta non fors perperam,
Nec usq; dijs nolentibus.
Vos aequiores este grammatici, obsecro,
Post, usus audax succinet.

De *historia* Pauli Iouij.

Saeuius armipotens quum incendit praelia Mauors,
Horrendam Iouius *fulminat historiam.*
Hic concurrentes acies est cernere, & aequor
Stratum rostrigeris classibus infremere,
Hic captos reges, legiones saepe fugatas,
Saepe acies caesas, magnanimosq; duces.
Aurea pax referas o candida tempora tandem,
Et *placidam* Iouius *concinat historiam.*

De *repentina* Neapolitanorum *fuga.*

Quae fuga? terribili Pan *cedit corda flagello.*
Quo cursus? quo fors imperiosa rapit?
Per mare lymphati, per aperta pericula, ciues
Tela, *minas, caedes, hostica diffugimus.*
Iamq, uale patria. heu uixi, ut lacerata uiderem
Ter *tua tam foede uiscera* Parthenope.

Ad Capreas *insulam.*

Salue insularum ocelle Capreae diae,
Neptunus *unam plurima aequore in salso*
Quam dote donauit, sibiq; delegit,

Sic usq; læta, & usq; sis domus diuum
Dilecta, serua pignora tibi commissa
A matre Parthenope, misella dum diris
Versatur Orci erinnybus, Gradiuusq;
Minatur omnia perdere impio ferro.

Ad Parthenopen.

Prædixi ego, prædixi amaris questibus,
Non longe abesse fata tua Neapolis.
Heu uera cur prædixi? iniquis hostibus
Teneris ecce, ac dissiparis, pro dolor,
Vt Roma miseretur tuam grauem uicem,
Perpessa Roma iam suprema ab hostibus.

Ad Romulum.

Haud potis ipsa salus tuto nos sistere portu.
Mors una est, quæ nos uindicet hisce malis.
Tris quondam diras tantum cognouerat orbis,
Duplas ultrices tempora nostra uident,
Vltrices scelerum, quorum est secla omnia præter
Infelix ætas Romule nostra ferax.

Ad Pyrrhum Ant. Scotium.

Desuntq; uerba, & lingua tristis hæsitat
Percussa Pyrrhe pestilente sydere,
Quum morbus artes occupauit optimas,
Quum languet orbis funere haud porro procul.
Mars ipse præformidat occasum suum,
Quum detur ultra haud amplius procedere.
Saturnus ultimam est adeptus lineam.

Vt ſit uerendum ne Charybdis cautibus
Noſtra hæc canamus, nec minores audiant.

Ad Ferrarium.

Non ad condictum uenit quia ruſticus, audi
Ferrari, quo ſe texerit hic clypeo.
In gallos culpam reiecit, triſtis Enyo
Quos prope ſupremo perdidit exitio.
Clepſydra hæc ruri eſt, quæ certam nuntiet horam.
Ergo omnes gallos fata ſuprema premunt.

Ad Martium Columnam.

Non enſe, non lorica, ut ante, milites
Armantur aſpro martis in certamine,
Aetnæ ſed igne, ſed cyclopum fulmine.
Quid reſtat? ira deum feretur longius,
Latura ſuprema excidia mortalibus?
Rerum prope eſt uidere Marti funera.

Ad Camillum Columnam.

Pendebat olim ſtamine tenui uita,
Tot quippe quæ periculis ſit expoſta.
Aranearum putrido quidem filo
Miſerrimis nunc uita pendet exemplis,
Tenentibus iam cuncta uirginibus Orci.
Camille preſto rebus es precor noſtris.

Ad Brunum nolanum antiſtitem.

Qua ætate Brune fors me adegit in ſcholam,
Scholamq; ſæuam, & officinam uerberum,
Quæ uerbera eſſe cenſeas letalia,

Qua ætate pro supreme Iupiter pater,
Qui nempe sexies nouenos ac supra
Sim natus annos, rebus amißis miser,
Qui rex eram, nunc seruitutem seruiens,
Nam regna regum, commodis æquaueram,
Liberq; pollensq; omnibus opulentijs.
Dictata ea dare pergit impotens dea,
Quæ posse iam desperat animus reddere,
Quare occidi sub plurima plaga miser.

Ad Andream Elysium.

Quod desiderium dulcis te ceperit urbis
Parthenopes, causam quis putet esse leuem?
Si est corpus tantum hic, animum si liquimus illic,
Vel diuos inter hic sumus exanimes.
Elysi amice hoc est, patriæ quod dius Vlysses
Gaudia diuarum, posthabuitq; toros.
Ciuibus exemplo uoluenda in secula forsan
Nos erimus, quid sit deseruisse lares,
Quid mutare solum, exilij atq; incommoda ferre,
Quæ ne lingua quidem ferrea dinumeret.

Ad Lopianum.

Apparente urso stultus uestigia quæris.
Non satis admonuit nos Lopiane deus,
Vltricem terris Nemesin incumbere, & una,
Infima, summa, æqua falce secare deam?

In grauißima ualitudine.

Post patriam, remq; amissam, me Laurus amata

Excepit, Laurus dulcis Anysij amor.
Curarum hic finis, requiesq; inuenta laborum,
Quorum nostra fuit lurida Lerna *ferax.*

In mortem.

Non hominum manibus, sed regnatoris olympi,
Mors deuicta stygis tristis in antra redis.

De *bello & pace.*

Vt Phœnix raro pax apparet. quis iberi,
Quis galli, tantum uos furor exagitat?
Non resipiscetis tandem, non busta mouebunt
Vestra, quibus toties itala terra tumet?

Ad *Elysium.*

Non ausa est unquam tantillum attollere furuum
Te præsente febris candide amice caput.
Absente Elysio medicorum principe nostri
Aeui, obluctata est, prosilijtq; ferox.

De *spe ad* Hieronymum Oliuerium.

Nulla dies potuit tam diluxisse maligne,
Quin cras sperandum melius: succumbere turpe,
Abiectiq; animi est, at spes fortissima contra
Si obstiterit munita suis fulgentibus armis
Deijcietq; gradu, & mox debellabit atrocem
Fortunam, morbusq; ferox frena aspera mandet.
Et ferro & flammis superanda Hieronyme Lerna *est,*
Si cupis optatam uitæ contingere metam.

Ad *Constantium Sebastianum.*

Reuiso ego qui nuper æthram lucidam

Proserpinæ usq; ab intimis penetralibus,
Obnuntio mortalibus, superstites
Qui sunt adhuc, uitamq; uiuunt perditam,
Plutona me uidisse plus æquo trucem,
Animas rotantem ac deuorantem noxias.
Mens assequi ne cogitando quit quidem
Illam figuram, & uastitatem corporis.
Minoa quoq; uidisse cum sodalibus
Prætorio in durissimo ius dicere.
Compellat hic me uoce formidabili,
Hæc inquit orbi nuntia, nos uix satis
Ad iudicandas esse uitas perditas,
Atq; esse semper nequiores ultimas,
Tormenta digna iam deesse Tartaro,
Quanuis ministri ad hæc parati sydera
Vincant numero, arenas itemq; Syrtium.
Sunt illa gry, quæ uos poetæ fingitis,
Aquilæ, rotæ, molesq;, ludificæ & dapes.
Arua ad beata semitam uepreta habent.
Vt consulant porro sibiq; caueant, mone.
Quid nuntietur magno ab Orci iudice
Constanti habes. poscuntur hinc partes uirum,
Qui sanctitate polleant, morbum ut grauem
Ab orbe pellant, perdisertis uocibus,
Facundia est quæ uestra præstantissima.
Vouete ludos, uer q; sacrum, deniq;
Placare quicquid quit seuera numina.

Intendite omnes ingenij uires uiri,
Pauci admodum qui extatis, æquus Iupiter
Quos perditorum segregauit ordine.

De temporis iniquitate.

In lucta Antæi, *ancipitiq; in forcipe, pergit*
Fors dea, falcata nos retinere manu.
Quid nisi perpetuis terimur cruciatibus Orci,
In nostrumq; silex pendet acuta caput.
Et fuga nulla patet, quo non timor usq; sequatur.
Heu *morimur miseri terq; quaterq; die.*
Vna ueni mors, dux expugnatrixq; malorum,
Securi ad manes si sumus hisce malis.

Epith. Herrici *Vrsini.*

Herrico Aeacid*æq; eadem si in fortibus armis*
Et *fidibus laus, si mors fuit ante diem,*
Tu dea Calliope *sacri regina* Heliconis
Suscita Homerum *alium, qui hunc* Achilea *canat.*

Ad *Inachum* Mendossam.

En terga humo qui illiserat uictus modo
Antæus, acrem uictor hostem supprimit.
Oracla nostra quam cito exitu patent.
Hucusq; fata proloqui sinunt Iouis,
Mendossa, sed dixere propalam tamen
Licentiosius uagari militem
Non militari obnoxium ulli tesseræ,
Sed pro libidine rapere, ruere omnia,
Moresq; prauos gliscere in dies magis.

Tum uisa nescio minari quid mali,
Morsu labelli, & nutibus capitis crebris.
His corrigendis uestra opus prudentia.

Ad Nympham.

Res hominum sic dispositæ, dulcissima amaris
Vt miscerentur, sæuitiane deum?
An quia nil terris est omni ex parte beatum?
An quia sic rerum consonat harmonia?
Quid nam isto cœlo iucundius? attamen omnis
Antiphatas uincit incola, sæuitia.
Hæc istis odia ab syluis egere Maronem,
Infelix hominum rusticitate genus.
Laureolos inter uitam uiuemus amaram,
Quum nequeam amplexu nympha carere tuo.

De uictoria Cæsaris.

Quid sibi nam cœlo tonitrus uoluere sereno,
Hiscere quum tota est regia uisa Iouis?
Parthenopen galli longa obsidione tenebant,
Quum tormentorum ui tremit omne solum.
Hic uelut inuidia commotus Iupiter, ecce
Aetnæos fratres conuocat altitonans,
Et quanta haud alias iaculatus fulmina dextra est.
Propugnatorem Cæsaris esse putes.
Augustum fatui non mensem cernitis hostes,
Qui illuxit fausto sydere Cæsaribus.

Ad Cæsarem.

Permagnum est certe Cæsar, quo fata reseruant

Inuictos semper teq; tuamq; manum.
P ro te dum dormis uigilat fortuna, trinodi
Expiscans reti, quod mare terra & habet.
E t tua sacra cohors aduersus restitit orbem,
Quem nullo tandem puluere uicit ouans.
Q uæ mora fatalem Cæsar contendere cursum?
Ingentem Alciden laudibus exuperans.

In Balbum.

A bsq; pudore mea usurpas epigrammata Balbe,
Admiscesq; tuis, quæ foricas redolent.
A t quid inepte facis? uel cæcus furta uidebit,
Atq; hic, clamabit, gemma misella sita est.

Ad Castricum.

I pse peto argentum, tu contra Castrice ceras
Mittis prolixas, instar & Iliados.
V tile consilium do Castrice, parce papyro,
V na argentifera est littera utriq; satis.

Ad Bernardinum Martyranũ, de iure & ui.

T rinis litterulis bene degitur, aut male uitam,
Ius alit atq; fouet, uis premit atq; necat.
O mnia ius æqua quondam quæ lance regebat,
Nunc uis transposita littera iniqua ruit.
Martyriane bonis paucis nisi numine dextro
Itur suppetias, candida uita uale.

Ad Fabricium Maramaudum.

Nymphæ dant uiolas rosasq; blandæ.
Poma & rustica dona dat colonus.

Pastor,caseolos & agnum & hœdum.
Testas dat maris accola,atq; pisces.
Venator,leporemq; capreamq;.
Nos nostri calami ac manus laborem
Fabrici pater elegantiarum,
Quando est purpureo otium a gradiuo,
Tibi hunc aureolum damus libellum.

Ad Lyncem.

O scedo te habuit,tua quæ uecordia Lynx est,
Pandiculatorem deniq; perspicimus,
Ad caput extremis distorques calcibus artus.
De te sperandum num meliora putas?
Quid,nisi te totum pertristi ut sydere corpus
Cogat morbus iners uellere ab unguiculis?

Ad Fabium Arcellam.

Ne crede signis,præpotentes quæ dei
Præclara monstrant. nos ueterno,perditi
Parum uidemus,mentis ac morbo graui,
Nec fas uidere recta curuo pectori.
Non morbus ante secla nostra incognitus
Vrens medullas cum dolore maximo,
Mentagra ad hunc ut illa patrum sit nihil,
Cladis futuræ fecerat certam fidem,
Quam Mars famesq; & horrida intulit lues?
Nec dum reperta sanitas morbo est,ita
Non hisce finis erit malis,donec scelus
Quod centiceps inuasit in nos,luridi

Non condit Orci triste faucibus caput.
Tandem quis erit hic Hercules nobis Fabi,
Qui perdat Hydram robore inuicto trucem?

Ad uiuentes.

Illæ in mortales grassantur Erinnyes Orci,
Vt sit miraclo uiuere nunc hominem.
Mortalis uiuens, dijs immortalibus æquum est
Aequalem uitam polliceare tibi.

Ad Pompeium Columnam.

Quod sim carminibus Pompei testatus amorem,
Officiumq; meum.
Est quia carminibus nihil est pretiosius, ut quæ
Proxima dijs superis
Nacta, queant cœlo uirtutis præmia ferre.
Nam quibus auspicijs
Rem bene gessisset peragrato nobilis orbe
Amphithryone satus,
Quisue pater Bacchus nymphis comitantibus, euoe
Dum bone Bacche canunt,
Quis Theseus, fidusq; comes, quis Pergama circum
Agmina semideum,
Ni famæ æternæ sacrassent illa camœnæ
Carmine dulciloquo?
Quæ sine uate geruntur fortia, noctis opacæ
Perpetua umbra tegit.

In Rufum.

Non fecisse sat est fucum mortalibus, ipsos

Fraudibus aggrederis tu quoq; Rufe deos.

Cissi transformatio.

Qua tempestate proles semeleia Bacchus
Impia contractas labes ob bella gigantum
In Iouis imperium pater emendare recepit,
Quicquid erat decoris reliqui & uirtutis in orbe
Aduocat, hacq; manu terras inuictus obiuit.
Inter & arma, interq; uirum fortissima corda
Cernere erat faunos, satyrorumq; agmina cœlum
Tangere nunc manibus, pedibus nunc pellere terram,
In numerumq; feras, animoso pectore pardos
Motari, tigresq; trucis, sæuosq; leones,
Mygdonijs etiam syluas colludere in undis,
Cunctaq; concentu doctas celebrare camœnas,
Quin ipsum uultu cœlum ridere sereno.
Hic choreæ præstans ductor, dilectus Iaccho
Cissus erat, pedibus doctus, quæ sueta theatris
Scæna, loqui, Arcadiæ & pastorum gloria Cissus.
At diuum inuidia, seu sic quia fata ferebant;
Dum procul a socijs salit inconsultius errans,
Decidit in uastum terræ miserandus hiatum.
Sic delectatus tantum sublimibus auris
Infelix animam barathro tenebrisq; reliquit.
Extemplo tumidi planxerunt littora fluctus;
Et responsarunt ualles, collesq; supini,
Oraq; lirantes ulularunt candida nymphæ.
Ecce dei attonitas percussit nuntius aures

Indigni casus, inhibens hic ille iugales
Pardosq; implicitos curru fuluosq; leones,
Constitit, ac tristi tellurem uoce lacessit.
In te quid tantum potuit committere Cissus,
Aut ego, terra parens, ut nos mœrore grauaris,
Et funestaris inuictum fletibus agmen?
Vix ea fatus erat, quum terræ e faucibus imis
Poplitibus flexis, iuuenis de more perempti
Planta uirens hederæ lætas prorepsit in auras.
Id fuit extincti Bacho solamen amoris.

Epith. Annibalis Anysij.

Si non de pario tumulus stat mormore, si non
Te decorant tituli militiæ atq; domi
Annibal, & suaues mores & candida uirtus,
Et patris pietas & lachrymæ decorant.
Heu puer infelix, cui non dulcissima uitæ
Fas, inhibente dea, munera perlegere.
Tota quidem cœli lætata est regia eunti,
Ast abit in lachrymas, te moriente, pater.

Ad Franciscum Suberem.

Me, fateor Suber pupugit dolor, ira momordit,
Quod talem fratrem dij mihi surpuerint,
Ac tali fato, furijs nempe, & fuit omni
Virtute ornatus, persimilisq; deis.
Nil ergo benefacta iuuant? dy talia honestis
Atq; pijs? sed me deniq; contineo,
Contineo linguam iam forsan dira parantem

Dicere, me heu differt cura, dolorq; necat.

Ad Horatium Anysium.

Quid prolem genuisse pulchram, & ipsis
Deis persimilem? quid alta tecta,
Magna ac nomina linquere in tabellis?
Vana hæc, utpote quæ leuis gubernet
Illa, quæ dominatur hisce rebus.
At quas ingenium paratq; uirtus
Iugi ut arida fonte perrigando,
Tuas, diuitias, putato Horati.

De amore, ad Cæciliam Denticem.

Quam fuit impius ille, deum qui primus amorem
Dixit, cœlestes num male dij faciunt?
Flectitur haud lachrymis hic inexorabilis, ignis,
Quem non extinguat maximus Oceanus.
Cæcilia hæc nobis aperi mysteria, quando
Cum Ioue dignantur nectare te superi.

Ad Canorum.

Dedisti uitio Canore *carmen,*
Quod dictis petulantius feriret
Crebris, plus nimio dicacibusq;.
Vßit quæ nota Caßium Seuerum.
Non sic Accius. *ille nanq; uates*
Nouit quid satyræ uelint dicaces,
Quod os dedeceant itemq; neui.
Pulchrum est scire quid expetat decorum,
Et quid Quintilij *ac probent* Cethegi.

Fit uirtus uitium loco Canore.

Ad Pompeium Columnam.

Iudicij praui & linguæ mordacis Homerus,
Capti oculis pœnas, Stesichorusq; luunt.
Non Helenas *possunt mortales carpere natas*
De Ioue, Pompei *quas colis atq; canis.*

In clypeo Caroli Imperatoris.

Insignit clypeum uis duplex, terror amorq;,
Diuersa uno ictu spicula qui iaciunt.
Impetit ille hostes, alacres hic reddit amicos,
Hunc geris in persas Cæsar *& æthiopas.*

Ad Egnatium, *de pace.*

Quæris Egnati, *mea cur cupitam*
Languide pacem celebret Thalia,
Exules quando rediere longo
Tempore musæ.
Classe mercator uehit usq; ab Indis
Prodigus uitæ speciosa rerum,
Vrbium æquantes pretia uniones,
Atq; smaragdos.
Forte iacturam medijs procellis
Si miser fecit minitante letum
Hinc Noto, *hinc magnis feriente cœlum*
Fluctibus Euro,
Naufragum eiectum peregrina in acta
Spiritu tantum ac anima relicta,
Dulcibus curis opibusq; cassum

Deniq; & omni
Destitutum speq;,deisq; dextris,
Quæ putas lingua titubante,tota ac
Mente commotum ,stupidumq; posse
Reddere uerba?

De Victoria Columna.

Tres charites sunt,sed Victoria(quæ tribus)una,
Sit nata,ipsam habeant ut charites charita.

Ad reges Christianos.

Magnanimi reges positis discordibus armis
Iuncti estis sancto fœdere amicitiæ.
Quin fronte arripitis diuam,quæ crine triumphos
Monstrat,& ad Carrhas Bactraq; qua sit iter?

Ad Pompeium Columnam.

Dum te perfacilemq; cæreumq;
Præbes,quæ tua comitas,amicis
Nobis sarcinulam aggrauas onustam,
Ac parum tibi consulis Columna.
Nam crebra prece tundimur clientum.
Et quis officium neget benignum,
Qui sit Mercurio,Iouiq; amicus?
Quare non satis ex bonoq, & æquo
Profecto fuerit Columna,si te
Sæpe obtundimus,imputare nobis.

Ad Luscum.

Lusce lyra Thamyran facile æquas,Orphea cantu.
Mulcendis pueris laurea tota tua est.

Ad Fabium Columnam.

Crista superbus tempore antelucano,
Cunctos opellæ commonens canit gallus.
Aurora suppudens, cubile quum linquit
Tithoni, hirundo comminiscitur questus.
Messoribus dum perfurit rapidus ardor
Solis, laborem uox terit cicadarum.
Turtur, cuculus, hesperi admonent seri.
Metam laborum nox reposcit optatam.
Auesq; noctis turba tristis occentant,
Strigesq; & ululæ, & hominis ora monstrosa,
Factura certam mortibus fidem claris.
Præscripsit has animantibus parens leges
Natura, transilire nec licet cuiquam
Fabi. uoluntas libera unius tantum
Est hominis, ut quocunq; libuerit uertat.
Cui Lerna pectus est, Nemeaq; & Erymanthus.
Ille ille felix ter quaterq;, qui inuictam
Direxit aciem per niuosa, per rupes
Cœlo minantes monstricida, cunctarum
Victorq; rerum. gloriæ hinc nitent soles,
Quos nullus unquam occasus obtenebrarit.

De Lucretia Tusca, ad Pomp. Columnam.

An ne pudicitiæ fatale Lucretia nomen?
An ne pudor? constans perpulit an ne fides?
Inter captiuas mulier clarissima tuscas
Perpessa a diro est milite nequitiam,

Non illa æquo animo, tecti sed summa petiuit
Certa mori, sese præcipitemq; dedit.
Maiori exemplo incolumis surrexit, & alto
Persistans incepto fœmina magnanima
A latis pedibus cursu contendit in Arnum,
Mergendumq; dedit terq; quaterq; caput.
Turpe neci corpus damnauit dia uirago,
At facinus clarum gloria clara manet.
Hanc subscribe tuis Pompei candide libris,
Vt per te uolitet casta per ora uirum.

De uitæ & mortis uicibus.

Qua musica, quo ordine, omnium parens
Natura, rerum fert uicissitudines,
Ab arce olympi adusq; terræ uiscera.
Non una Phœbo, non sorori prænitet
Formosa facies mane primo & uesperi.
Non porro idem æuum æstate, bruma & horrida.
Momenta sunt hinc rebus omnibus & uices,
Quas condidit diuum pater hominumq; rex.
Vt uita ducit, cogit ita mors agmina
Diuersa rerum, sorte per quam æquabili,
Vterq; dux insignis, insuperabilis.
Ingratus est uitæ ille, cui mors displicet.

Ad Antonium sacerdotem.

In re diuina Antoni dicto ocyus ara
Digrederis, cuncta at rite pieq; facis.
Aut in carceribus, suprema aut cernere meta

Te licet, at medio non licet in ſtadio.

Ad Hieronymum Franciſci.

Men uectigalem? turpes fœdiq; charones
Vt pœnas omnes ſub Phlegethonte luant.
Men uectigalem? mea quem mitiſsima mater
Inter dilectos Parthenopea colit.
Tu fer opem uindex Hieronyme, confice telis
Harpyiaſq; Erebi, tartareoſq; lupos.
Tu ſemper noſtris celebrabere uerſibus, & tu
Diceris nobis Amphitryone ſatus.

Ad Giſmundum Loffredam.

Diuina mens Giſmunde cœlitus data
Ab optimoq; & maximo eſt homini Ioue.
Sic eſt profecto. inſomnium illud uel fidem
Certam facit. uidebar in quiete ego
A rege medo præpotente maximo,
Plus orbis æqua parte qui imperans premit,
Audire uerba, audita non unquam mihi,
Interpretata mox fideli interprete
Quæ reddiderunt horridam ſententiam.
Et ne quid eſſet per Lyæum perperam
Viſum, nec anſa detur ulla incredulis,
Vera agnita eſt imago ab his qui comminus
Videre regem. Præcauete principes,
Duceſq; noſtri. ſæpe quæ imminent mala
Longe ante ſanctis nuntiantur uatibus.

Ad Augustinum Gniphum.

Quo pulchro facies est formosissima diuum,
Et forma est animae nobilis ingenuae,
Hoc Gniphe Aragoniam donas doctissime Ianam.
Inuenit pretium merx speciosa suum.

Ad Fuluiam.

Vt nihil in terris fuluo rutilantius auro,
Et nil sole nitet clarius in superis,
Aurea sic inter praefulget Fuluia nymphas.
Per Venerem, nobis Fuluia es ipsa Venus.

Ad Marcellum Columnam.

Infestae podagrae successit dira chiragra,
Haec periniqua pedes perdidit, illa manus.
Scipio erat comes insigni coniunctus amore,
Quis Marcelle dehinc fidus amicus erit?

Ad Aulum.

Cur uiuo? dixti lachrymans, cur amplius aura
Vescor? si extincta est dulcior illa Venus,
Alma mihi si extincta Venus, quae nutrit & auctat,
Perpetuum generi substituitq; genus.
Nempe sine fructu sterilis succiditur arbos.
Naturae est odio quicquid honore caret.
Quin est consilio melior Bacchoq; senectus,
Quaeq; aurigatrix sit iuuenum, atq; modus.
Haud mors ante diem celeranda, sed expedit Aule
Viuere consilio, uiuere Symposio.

Ad Robertum & Federicum.

Roberte, Federice, par amicorum
Rarißimum, ut nec Lælij negent ipsi,
Aut prisca quos antiquitas refert. pulchri
Affinitate, mente nobili affecta,
Quæ ducit ortum a præpotentibus diuis.
Hinc est profecto indissolubilis nodus,
Quo uita nobis arctius reuincitur.
Sic uos Cupido, sic amet Venus semper,
Et cuncta det quæ pulchra cor cupit uestrum,
Pompeio Anysium referte patrono
Debere plusquam uel parentibus, uel qui
Præfulsit in natalibus Ioui dio.
Domicilla formosißima quoq; nympharum
Idem fatetur, obsecratq; per magnos
Deos deasq;, habere ut in suis pergat.
Sic nos beatos inter astra sistetis
Gemelle Pollux, & gemelle pollucis.

Ad Ianum Brancaleonem.

Quæ diuino animo, quæ bruto in corpore sit uis,
Quid maior multo poßit utroq; deus,
Deniq; num sophiæ hæc dederit pater omnia diuæ,
Cœpisti chartis condere Iane tribus.

Ad Paulum Siscarum.

Consilium nulla emptum mercede, accipe Paule.
Vtere fortuna muneribusq; deum.
O cyus heu uentis si nostrum labitur æuum,

Tam cito deflendi collige ueris opes.

Ad Barthymæum Martianum.

Quæ citent Venerem rigentiorem
Phœnici, Priamoq; , Nestoriq; ,
Misti tubera Martiane. næ tu
Fecisti illepide atq; ineleganter,
Qui demortua suscitare tentes.

Ad Pompeium Columnam.

Quod uas Arsinoe uel usq; ab Indis
Misit, splendidius nitente gemma,
Phaethontis pretiosius smaragdo,
Illud dum tibi destino Columna,
Forte comminuit scelesta serua.
In cuius capies locum, serena
Et qua fronte soles, ferocis arcum
Regis antipodum Senecionis.
Nil hoc certius assolet ferire,
Pace ut Memnonis Herculisq; dicam.

Ad eundem.

Vuas quum comedes Columna, dices
Niuali Hydrochoo rigante cœlum,
Autumnum rediisse succulentum,
Quas tibi Domicilla bella misit.

Ad Alfonsum Sancium.

Tot promissa mihi beate Sanci,
Cui parent opulentiæq; & aurum
Magni Cæsaris, & Charis Venusq; ,

Spondent me facile impetrare posse
A te, quod prece plurima rogaui.
Tu tantum mihi ne, precorq; & oro,
Responsum dederis simonideum.

De Cynisco.

Forma quæ minuit solet placere,
Et primæ quoq; terminationis,
Non os, sed placet osculum Cynisco.
Idem grammaticis solet placere,
Rigant qui pueros liquore Cyrrhæ.

Ad Pompeium & Sancium.

Pompei mihi uerba sic dedistis
Et Sanci: haud ita inulta res abibit.
Non non hendecasyllabis agetur
Posthac, sed satyris sacrisq; iambis.

De Regulo.

Paucis dij bona multa contulere,
Nemini omnia, Regulo nisi uni,
Qui tam supra hominem, deoq; par est.

Ad Narcissum.

Narcisse tantum debeo tibi, quantum
Præclara Lesbos Libero patri debet.
Nam cella tua referta nobili Baccho
Rapit me ad astra sæpe summa sublimem,
Et unde despectentur infimæ terræ,
Priscisq; adæquat uatibus, iuga pererro
Iam celsa Cyrrhæ candidus olor pennis.

Ad Pompeium Columnam.

Post Spartam & dium Pompei docte Platonem
Nil sexus debet non tibi fœmineus.
Iam prope tartareis deiectum sedibus, illum
Nectareo ore choros tollis ad ætherios.
Mactat, io nymphæ, niueum Victoria taurum,
Celsa triumphatis hostibus itq; dea.
Hoc famæ æternæ uos consecrate camœnæ,
Et tantum titulum pulchra Columna ferat.
Ex auro solido, solidoq; Adamante Columna,
Omne adeo superet Mulcibris ingenium.

Ad Ioannem Balduinum.

Ingenium quoniam mihi non rude fata dederunt,
Fit sæpe ut uolitem Iane per ora uirum.
Sed quum perpetuis animi cruciatibus angor,
Tunc uel Aristotelis execror ingenium.
Vis hæc confecit fratrem sæuissima morbi.
Hei mihi quæ patior, dij probibete minas.

Ad Pompeium Columnam.

Omnia, quid mirum, si expugnas fortibus armis
Virtutum, Iuno uel noua monstra ferat?
Atra lues fugit, nec lympha exhausta terento,
Nec stygiæ cæsa est hostia Persephone.
Hæc est sacra cohors uictrix, fidissimi amici,
Hac Pompei excelsa tutius arce nihil.
Prægustatores hi sunt, conuiuiaq; ornant
Musarum & charitum docti hilaresq; sales.

De Narcisso.

Contigerit cuiquam medicorum nescio an unquam,
Ex quo dispositum in prima elementa chaos,
Quod nostro tandem Narcisso contigit, & nec
Excipio Musam, laurigerumq; deum.
Plus regum hic medicis succis reuocauit ab Orco,
Quam Thebæ campus uidit & Iliacus.
Quid mirum, si Cæsar amat te, & munera si dat,
Quæ classi, quæ equiti sint, pediti; satis?

Ad Cæsarem Bembenium.

Si re diuersum fuit unquam nobile nomen
Pax, & progenies pulchra Homonæá Iouis,
Nunc certe est Cæsar, uiden illa illeuerit ora
Quis fucis, porro pone latere putans?

Ad Pompeium Columnam.

Persarum lateant reges, quos pallida adoret
Turba salutantum semiuiri satrapæ.
Omnia tu facito Pompei nuda & aperta,
Hoc est romanum, uiuere liberius.

Ad Dantiscum.

Fer duplices cœlo palmas Dantisce diserte,
Quando uos genius tam bene dexter amat.
Omnia ita inconstans miscet fortuna, latinus
Candor pro Latio Theutonis arua colit.

Ad Scipanum.

Scipane, tanto amore quod subis tantum
Onus, camœnæ de uia fatigatæ

Quod paululum posuere, candidæ diuæ
Tantum tibi debent, olympifer quantum
Libs inclyto Atlas Herculi Iouis nato.

Ad Iacobum Pignatellum.

Ne me appellaris diuino nomine, solus
Est autem sapiens ipse Iacobe deus.
Abstineas humeris tantos imponere olympos
Quæso Iacobe, hominem non honor iste decet.

De Annibale Grammatico.

Obscura in tabulas trans aduersaria ferre
Herculis est labor, aut Grammatici Annibalis.

Ad Basilium Sabatium.

In cœlo totus ne prorsus despice terras
Per genium te oro, perq; tuam Vraniam.
A fratre ad cæston, cœli de uertice Pollux
Sæpe redit. Basili est hic quoq; fama sua.

Ad Osmum.

Quo plures tibi aluntur Osme pulli,
Hoc milui tibi plurimi timentur.
Mista dulcibus ista amara perfers.
Certant Elysijs ita arua Auerni.

In Arrium.

Multus aqualicolus tumet Arrio, & hernia pendet,
Non æquum est Arri, pone onus alterutrum.

De Francisco Nerone.

Spreuit opes regesq; olim turba illa sophorum,
Dum studet æternis diuitijs animi.

Abiecit demens, aurum, quisquis fuit ille,
Pocillum ille alter, dolium & incoluit.
Præclare ast alius, qui quid sapientia posit,
Nouit, & est usus regibus atq; opibus.
Omnibus ante tamen liceat posuisse Neronem.
Hic scit diuitias quærere, scitq; frui.

De liene suillo inusitata magnitudine.

Ingens ostentum, dissecto uiscere, pondo
Bisseptem splenem sus populo exhibuit.
An quia succedent grauibus mœstisq; cotburnis
Socci hilares, risus fletibus horrisonis?
Tu ne Tiresiam, dubia nec sorte sibyllam,
Sed risus patrem consule Democritum.

De portentoso terræmotu, ad Placitũ Sangriũ.

Ingens uis morbi mundum sæpe afficit. aut quæ
Est Sangri tantis causa reperta malis?
Præteriti an secli diuum præconia finem
Monstrant, quodq; instat tum fore deterius?
Concussa est misere modo terræmotibus ora
Lusitana omnis strage hominum horribili.
Discessit terra, fluuios uomuitq; rapaces,
Discissa in flammas regia cœlicolum est.
Heu quæ Parthenope toties est passa, Vesæui
Aeternum faciunt iam monumenta fidem.
Prodigia atq; minas uos procurate deorum,
Nostri, ni prorsus desipitis proceres.
Sic uos cernetis citius quæ Borgius ore

Aurea fatidico secla futura canit.
Vertentem ille canit numeris instare peractis
Annum, quum alter erit qui fera monstra domet,
Monstra domet Lernæ funestæ robore duro
Atq; inuicto ingens Amphitryone satus.

Ad Philippum Strotium.

Nascenti tibi nobilem Philippe
Stillarunt graciles apes liquorem,
Apes cecropiæ, saleſq;, & omnes
Succos nobilium elegantiarum
Duxerunt tibi ab atticis salinis,
Carpserunt tibi ab atticis uiretis.
Tu quando ambrosiæ sapore gaudes,
Munus, quod Domicilla amata uirgo
Misit Parthenope suæ parenti,
Hoc ipsum tibi mittit Intimilla,
Nam amat Parthenope intime Intimillam.

Ad Marium Aligerũ, in morte Camilli fratris

Aeternumne Mari insignem pietate Camillum
Lugebis, ueſtræ florem oculumq; domus?
Parce Mari lachrymis. felix ille astra petiuit,
Optatoq; atauum colloquio fruitur.

Ad Merinen Sanseueriniam.

Quod formosarum tu formosissima, syluis
Sic potes in solis sola latere diu,
Diuini uigor est animi, & uis dia Merine.
Plenum es spectaclum tu satis una tibi.

Ad eandem.

Munera dant alij, gemmas, pretiosaq; rerum,
Attamen haud par est gratia muneribus.
Tu das solem & aquam, sunt & mihi dona Merine
De cœlo, quid ni tu charis es charitum?

Ad Pyrrhum Ant. Carafam.

Vt es tu pater elegantiarum
Pyrrhe, sic mihi litteras dedisti
Refertas salibus facetijsq;,
Cumq; his munera, nobiles oliuas,
Et Bacchi latices suauiores,
Nata munera collibus benignis,
Qui lætis Eleæ rigantur undis.
Te Pallas, bonus atq; amet Lyæus.

Ad Pompeium Columnam.

Pompei Parthenope benigna mater,
Seruatam ob patriam, obq; contumaces
Multatos male, pessimosq; Cacos,
Dat quernam tibi & auream coronam,
Virtutis monumenta singularis.

De Pompeio Columna, ad Cæsarem.

Si tales aliquot Pompeios Cæsar haberes,
Expugnatores perfidiæ ac scelerum,
Iam positas olim purgato a te orbe columnas
Cerneret ante suas Amphitryone satus.

Ad amicos censores.

Borgi, & Philocale & Camille, uobis

Ni laus displicet a uiro probato,
Nostra hæc inspicite, amputate & illa,
Quæ censebitis otiosa, & esse
Non satis Metio *probata. sic uos*
Apud me nitidi legent nepotes.

Ad lectorem.

Ne lector temere, primaq; in fronte poetas
Carpseris in uerbo, pectora plena deo.
Iure suo possunt rectum torquere, decori
Intra orbem, neuo & pulchrius os facere.
Seu fors committunt, imitantur siue latinos
Et græcos, factum id ne temere esse puta.

Ad Antonium Seripandum.

Quæ faciebamus iusserunt edere amici,
Ancipiti iußit mors quoq; falce minax.
Tunc matura seges, quum iam flauescit aristis,
At metit hanc uiridem sæpe maligna fames.
Iudicium nostrum mox, si per fata licebit,
Antoni *ostendam dexteriore deo.*

Ad Pompeium Columnam.

Pompei Romulidum *decus,* Thaliæ
Hæc sacris tibi poma legi in hortis,
Vt pascant animos odore suaui.
Sunt hæc instar opum tibi, Indi *&* Hebri.

Ad lectorem.

Labeculas, quæ occurrerunt, te amabo lector sic corrige.

Folio quarto, uersiculo nono, in fronte, lege mysias.

Fo. 7. uers. 10. sanctum. In tergo, uer. 11. celebretis

Fo. 9. uersiculo. 22. Summontius. uers. 26. syluæ.

In tergo, uersic. 17. reserauimus.

Fol. 12. uersi. 21. una, ni mauis esse epicœnum.

In tergo, uersic. 2. uitiabit.

Fol. 13. uersi. 14. Galatea. uers. 18. cytiso.

Fol. 14. uersi. 7. in tergo, zephyri.

Folio. 15. uersiculo. 14. ipse & quam.

In tergo, uersic. 26. scelestæ.

Fol. 16. uersi. 8. letalibus. sine diphthongo.

Fol. 20. uersi. 4. Ad Barthymæum.

Fol. 22. uersic. 19. letaliq;.

Fol. 24. uersic. 1. Inuiso rebus te Lyce quid f.

Fol. 27. uersic. 22. Stagiris.

Fol. 33. uersic. 19. in tergo, demandat.

Fol. 35. uersiculis primis. O superi. fugientibus.

Fol. 37. uersic. 22. in tergo, nymphe.

Fol. 38. uersic. 5. confugium.

Fol. 39. uersic. 7. in tergo, decubuere.

Fol. 49. uersi. 17. in tergo. At pulchrior.

Fol. 51. In fine. Ad Alpheum Carafam Patriarchã.

Fol. 52. uersic. 10. nonne ferus fuit.

Fol. 56. uersi. 2. æthiopasq;.

*Folio. 5 9.uersi. 2 2. a tergo,*Mnemosyne.
Fol. 6 1.uersi. 1 0. coruscam.
Fol. 6 6.uersi. 1 4. sub æthere lucido.
Fol. 6 8.uersi. 2 6. in tergo. serenam.
Fol. 7 1.uersi. 1.in tergo,uis.
Fol. 8 1.uersi. 2. Mnemosyne.
*Fol. 8 3.uersi.ultimo.*Amicum,*nomen proprium*
*Fol.eodem,uersi. 1.in tergo.*Barthymæi.
Fol. 8 6.uersi. 9.in tergo. musta feruebant lacubus, per agros Bacche *clamabant*
Fol. 9 1.uersi. 1 8.in tergo.chelysq;.uer. 2 5.munus.
*Fol. 9 4.uersi. 1 9.*Pyrrha.
Fol. 9 5.uersi. 1 0.in tergo. chelym.
*Fol. 9 6.uersi. 1 4.*Thetidos.
Fol. 9 7.uersi. 1 0. graue reddituro.
Fol. 1 0 3.uersi. 1 5.in tergo, floribus & folijs.
Fol. 1 0 8.uersi. 6. felix, inuictus
Fol. 1 1 6.uersi. 1 5. chelym.
Fol. 1 1 9.uersic. 1 4. inuidiam.uersic. 2 3.Es totus fel, es atq;
Fol. 1 3 5.uersi. 7.laudibus exupera.

Ad Inachum Mendoßam Cardinalem.

Vt præclara mihi incidere uerba,
Subſcripſi negligentius libello,
Nam duxi nihil ordine indigere.
Tu lege Inache candide, atq; cunctis
Da ſedem propriam, ſuumq; honorem.

Ad lectores.

Siqua eſt Iambis his licentia in noſtris,
Matrona fucis eſt carere quia debet.

Ad lectores.

Quæ facere meliora nequij, utor pro meis,
Nam dicta uetera inuertere impietas mera eſt.

Mens pura centum gratior tauris deo.
Virtute nil propius deo, hac cœlo eſt iter.
Præſtat mori, quam uiuere diu turpiter.
Sit lingua nata gratiæ, & dictis bonis.
Mendacium quum dicis, es mendax memor.
Cote aurum, & auro homo probatur optime.
Eſt pœnitudo ſponſionis filia
Principem adeas rariſsime, & ſuauiſsime.
Primas caue cupidinis foueas faces.
Iuuenta bene inſtituta, tibicen ſenij eſt.
Neceßitas rerum omnium potentißima.
Quo iniquior, eo infelicior potentia eſt.
Et iuſtus, & ſapiens uir eſt ſimilis deo.

Honesta dare, petereq; amici est optimi.
Qui possidet se, non qui opes, is diues est.
Mortalis homo mortalibus ne fidito.
Se uincere, optima omnium uictoria est.
Agenda meditare, acta mox examina.
Diuersa studia odere cuncti, amant sua.
Audere plus, loqui minus, fortis uiri est.
Ducenda si uxor est, parem exopta tibi.
Non diuitiæ eæ sunt, quibus semper deest.
Linguamq; uentremq; uenerémq; comprime.
Quis nam tam amicus dijs spopondit cras sibi?
Præpropere in omni tempore uxor ducitur.
Prædulce amore mutuo connubium.
Vt umbra, sic oratio est mutabilis
Ille est deo carissimus, qui eget minus.
Habeto opes, haberi ab illis præcaue.
Quid interest ditem, an inopem hominem mori?
Sapientia animo splendet, ut oculis dies.
Ad gratiam oratio, laqueus est melleus.
Vt est grauis uirtus, ita sors leuissima.
Fiducia & spes præsidia firmissima.
Cpem petenti aut da cito, aut cito nega.
Vis, mole præceps it sua expers consilij.
Iactura per socordiam grauissima est.
In animo egestas atq; opes hominum sedent.
Rarissimum inuentu est amicus optimus.
Plenum theatrum est uir bonus uiro bono.

Cum naufrago fac connatet uiaticum.
Tam morte certa, quis tantus timor mori?
Opinio animum sæpius, quam res premit.
Id optimum est, quod fit uetustate melius.
Ira impotens furor est, suiq; pœna atrox.
Ita age, ut deis & hominibus spectantibus.
Quid tam dolendum, si datur finis malo?
Raro tyrannum uidit usquam sol senem.
Aerugo ut æs, ita inuidia est præcordia.
Scire, & sapere, uiaticum in uita optimum.
Inscitia est mortalibus summum malum.
Ne crastino sperans, quid omiseris hodie.
Nil optimum, pulchrumq; sero discitur.
Aduersa prosunt sæpe, nam recti admonent.
Latere conscientiam nequit scelus.
Qui aduersa nescit, prorsus homo est miserrimus.
Non uis tua edi consilia, ne proferas.
Conuicia hominum turpium, laudes puta.
Quid homo paras? necesse tandem si est mori.
Cani latranti præda facile elabitur.
Superare fortunam potest potens pati.
Metiri iniquum est commodo suo omnia.
Haustus facile amor, cum labore educitur.
Nil tam celere, quod non amanti sit moræ.
Fortuna quo arridet magis, magis time.
Qui parcit improbo, officit multis bonis.
Ipsis neq; hostibus feceris iniuriam,

Quod non potes uitare, fortiter feras.
Fortuna uitri more nitet, ac frangitur.
Aequanimitas, medicina erumnæ maxima est.
A morte uir uirtute uindicabitur
Nulli est auarus quam sibi infestus magis.
Minæ & metus nihil integrum uitæ mouent.
Lupum auribus tenet tyrannus ui imperans.
Beneficia senescunt, uirent iniuriæ.
Conuiua rara loquitor, & gratissima.
Desunt egeno multa, auaro omnia.
Nos sæpe fallunt nostra recti imagine.
Sic uiue, tanquam omnis supremus sit dies.
Oratio index est animi certissimus.
Diras auaro si imprecer, uitam precer.
Hostis timendus quamlibet pusillus, est.
Infestius nil alteri est, quam homini homo.
Qui mortuo dat, ludit operam illi, ac sibi.
Persæpe quæ serunt alij, alij metunt.
Si urget necessitas, pericla periclo adi.
Nihil homini certum est cauere, latent mala.
Pœna graui ipsum ulciscitur sese scelus.
Multa accidunt, quæ confecres silentio.
Beneficij cito senescunt gratiæ.
Tanti æstima te, quantus es, nisi desipis.
Nil pœnitendum feceris consulto agens.
Letalius multo est malum, quod delitet.
Mœror uoluptatem usq; sectatur comes.

Quid stultius, quam uerti in hora sæpius?
Iactura nulla grauior est, quam temporis.
Nihil supra uires statuit homini deus.
Plures timebit, qui est timori pluribus.
Dulcis labor fit, præmij certus sui.
Quod uiuitur, uita est, probe si uiuitur.
Consulto amicum aut quærito, aut relinquito.
Felix alieno periculo quisquis sapit.
Leue est dare consilium, arduum se noscere.
Exigua res fit maxima, data tempore.
Monet sequentem, qui antecesserit dies.
Frustra expetuntur, quæ impetrari non queunt.
Delibera tarde, perage quam ocyssime.
Enitere esse opinione probatior.
Animi bona in numerato habe, magis quam opes.
Nil abditum diu est, malefacere abstine.
Dies diei index, supremus omnium.
Opinio imperat homini imperio graui.
Cupis beatus esse, sustine, abstine.
Aurum ignis examinat, amicum tempora.
Nunquam dati memineris, accepti es memor.
Omni aspide improba mulier letalior.
Par est lucrum damno improbis partum modis.
Senex inops spectaculum est tristissimum.
Amico amicus in omnibus bona cogitat.
Secreta amici conde thesauri loco.
Audire, dicereue male in quenquam abstine.

Rebus modus concentus est suauissimus.
Ingenui animi & celsi est fouere miserrimos.
Et uerba, & opera, fœda sunt, uenalia.
Molestia est iugis, domi uxor improba.
Felicitas summa, uxor est frugi, uiro.
Iniuria animum exest, beneficium hilarat.
Sæpe est egestas dulcior quam copia.
Mendacem ita audi, ut sit ioco ac derisui.
Ingens labor mendacis, omnia fingere.
Mendacem ego nequam execror, uanum fero.
Luxus corpus conficit, animum multo magis.
Cui credere debeas quid, & quantum, uide.
In supplicem qui sæuit, sæuior fera est.
Facundus est comes uiæ compendium.
Virtus relicta tristitiam animo parit.
Præsens & absens est bonus, amicus bonus.
Latens adulator malum, ac letale mel.
Si est turpe superari, dolorem uincito.
Vitato ut hostem temetipsum, si es malus.
Nil suauius, quam audire uera, ac dicere.
Miseriæ, opesue æque excruciant, ni mens sapit.
Ita amicum ama, ut ratio locum seruet suum.
Amentia est teterrima, inuidentia.
Dictum impie in deos, malum est uanum atq; atrox.
Nihil uidet mens. ueritate pulchrius.
Sapientia est medicina languorum omnium.
Sera ultio grauissima uenit impio.

Alias mora molesta, est fallens molestior.
Metire censu impensam & arca, si sapis.
Non cuias sed quis es, expedit te ostendere.
Infestior ipsi iniurio est iniuria.
Ineptius nil est, quam inepta effundere.
Simplex amico amicus esto, & integer.
Bona est uoluptas, si rationi pareat.
Condimentum cibi est fames, potus, sitis.
Præsto esse miseris Principem uirum decet.
Modestus esto æque in iocis, ac serijs
Venale quicquam in rege pro piaculo est.
Sapientiam nil propius est, quam ueritas.
Largissimis affluit opibus nitida fides.
Mendax miser palam, clàm auarus esurit.
Vt sol modesta liberalitas nitet.
De se exigit, quod in alijs ira expetit.
Mulcet superba lene uerbum pectora.
Maledicta dissimula, atq; uiues hilarius.
Meminisse semper tristia, muliebris animi est.
Sunt mane amici, uesperi auersi, mali.
Honesta amicus impetret, turpe haud petat.
Si fors te euehit, prioris es uitæ memor.
Nullus grauior hostis, quam amicus subdolus.
Diuturna non est improborum amicitia.
Ingratus, æque est omnibus odio, ac sibi.
Communitati hominum debemus plurimum.
Bona ut a bonis oriuntur, ita mala a malis.

Prudens si aberras, recta hominum es miserrimus.
Nulla inuidiam & auaritiam requies fouet.
Nil rege iusto pulchrius sol aspicit.
Est seruitus Cupidinis durissima.
Virus dilutum nectare assentatio est.
Pone in bonis, quæ iuste opes accesserint.
Qui affert necessitatem, aufert arbitrium.
Cum dijs age precibus, dent id, quod est bonum.
Quid quærimus stulti? ad manum si est, quod sat est.
Occidi uir bonus, lædi haud quaquam potest.
Honesta egestas pompa inani pulchrior.
Prudenter agito, uiderint dij postea.
Natura quos ludos docet, honeste utere.
Dolere nil, rigidi animi est, mollis nimis.
Gratus laborem minuit, & animum incitat.
Curat prius se, deinde rem quisquis sapit.
Trudunt malo mali malum, boni bono.
Nil morte certius, nil hora incertius.
Sit gaudio, dolori, iræ suus modus.
Vicissitudo tandem rerum est omnium.
Difficilius desuescere est, quam assuescere.
Mens dubia animi, facile gradu depellitur.
Subito in periculo consilium rapidum ualet.
Fallit temeritas sæpe, cogita antea.
Ne admiseris quod obest, potes si omittere.
Si corpori anima præest, animam cura prius.
Mors aspera malis, longe alia uenit bonis.

Si non parentem fers homo, quem alium feres?
Clementiæ expers imperium tyrannis est.
Pulchra ac pudica pulchrior duplo ac triplo est.
Quamuis scelestum, pœnitet sceleris tamen.
Opes parentur, ut uirtuti pareant.
Quod tute tibi parasti, id est dulcissimum.
Obscurius quidq; inquirendo discitur.
Mendacium est dijs maxime & hominibus odio
Inuito, & id quod est facile difficile fit.
Iustæ refulgent leges post iniuriam.
E re sapientis est, negligere rem in loco.
Præsentis absentisq; amici sis memor.
Plus quam labor desidia corpus conficit.
Curiosius aliena scrutari abstine.
Tempus noui aliquid semper in nobis parit.
Sine mente diues, aureo aries uellere est.
Placato officijs, quos læseris iniuria.
Aequo ferendum animo, feret quodcunq; sors.
Infirmo eunt pede consilia hominis inopis.
Quam quisq; norit artem, in ea se exerceat.
Lenire nitere, quod nequis dissoluere.
Quum non datur quod uis, uelis quod fors tulit.
Diffunde tua potius, aliena quam appetas.
Amor sine modo, abest parum admodum ab odio.
Cum liberis hominibus abstine a minis.
Sit conscientia instar mille testium.
Audire uis bene, abstine male dicere.

Mortalis heu nescis quæ ad orcum est ultio.
Petito a deo fortunam, a teipso sumito.
Cauda & capite mendacium grauiter ferit.
Dictum bonum aut factum redit cum fœnore.
Amore crescunt imperia, ruunt metu.
Tam est in uitio qui omnia timet, quam qui nihil.
Male imperat, qui sub imperio nunquam fuit.
Aduersus iram pugna uita emi solet.
Errata minima abeunt, at hærent grandia.
Nil rege pulchrius, nil tyranno tetrius.
Non laudo amorem, a quo ingenuus abest pudor.
Iniuriam inferre est feræ, ferre est uiri.
Intemperantia est malorum pessima.
Graue decipi ab alio est, a se, grauissimum.
Magnum est quidē hostem uincere, se autem maximū.
Heu cur potentes pleriq; omnes sunt mali.
Pulcherrima est res ueritas orta a deo.
Eam elige artem, quam senex exerceas.
Vt principum, sic fiunt mores ciuium.
Sapienti honestas lex, libido est lex malis.
Grauior egestas est amicorum quam opum.
Te scire quod nescis ne unquam dixeris.
Quod uiuis, haud uita est, nisi bene uixeris.
Nimius sui amor radix malorum est omnium.
Pectora uirorum sunt muri urbis æneı.
Præ seipso amabit ueritatem, uir bonus.
Obest nihil bis dici, quod bene dicitur.

Dos magna mulierum est, & decus pudicitia.
Animi pusilli est facere seruo iniuriam.
Ni seruum ineptum uis, cum eo abstine a iocis.
Id disce, quod te faciat meliorem indies.
Bonus uideri, at esse nititor magis.
Sine contumelia plectito quibus praees.
Corpus animumq; incontinentia conficit.
Repetere beneficium, impudentis hominis est.
Regni haud dubia sunt præsidia, amor ciuium.
Laudato parce, uituperato parcius.
Vindicta felix est, potuisse ignoscere.
Grauissimum supplicium est, odium publicum.
A temetipso exigito, si tibi quid deest.
Exculti opes amplissimæ sunt pectoris.
Quum uxor magis paret, magis imperat uiro.
Neq; temere, neq; timide periclum adi.
Quod partum est precibus, beneficij amittit locum.
Non tam rei, quam animo, debetur gratia.
Amare cogi quem oderis, miserrimum est.
Nulla improborum stat diu felicitas.
Vt nare piscium est, ita flere mulierum.
Munus loco iacturæ erit, si erit malum.
Iniuria uel ipsis odio est autoribus.
Lite abstine, nam uincens multum amiseris.
Vt quisq; est intus, talis est oratio.
Spes præmij leuat laborum sarcinam.
Vicem gerit ærumnæ nimia felicitas.

Iactura maxime est, carere ea re, quam habes.
Regi certa est securitas clementia.
Felix is est, peccare qui minimum potest.
Senex amator ultima ærumna est sibi.
Fortuna fortis superat consilia hominum.
Conferre beneficium, quam accipere est pulchrius.
Periclum idem parcere malo, & lædere bonum.
Quodcunq; fit bonis bene, id nunquam perit.
Ars alia priuatum, alia principem decet.
Persæpe plus qui amplectitur, retinet minus.
Si audire male non uis, ne dixeris male.
In cor malum sapientiæ haud aditus patet.
Auro loquente conticescunt omnia.
Si rem efficere cupis, minimum oportet loqui.
Vt corpus umbra, ita gloriam inuidia sequitur.
Si qua dat egenus, redde mox cum fœnore.
Scintilla parua alta incendia sæpe excitat.
Turpi abstine a quæstu, neq; esto particeps.
Audire male, minus graue est quam dicere.
Ex consilio bono, bonum nascitur opus.
Viuis bene sperandum ad horam usq; ultimam.
Bene institutum animum parum afficiunt mala.
Amicitiæ longissimi sunt termini.
Monstrum est iuuenis infirmus, & demens senex.
Est liberi hominis uera semper dicere.
In laude ne exulta, at prius te examina.
Dulcissimum fructum ferunt mores boni.

Sine consilio agens facile fit præda hostibus.
Nox consilium gignit, dies operam exigit.
Quisquis senescis præpara uiaticum.
Quod nam lucrum sperare ab hoste possumus?
In filium iram non bonus nutrit pater.
Mulier nihil scit, præter illud quod cupit.
Stude ex te ipso parere nomen & decus.
Fortuna tunc fluit, manere quum putas.
Virtutis est possessio firmissima.
Tutissimum est uallum nitida uirtus uiris.
Da munus, & libenter accipe a bonis.
Ne turpe fac, nec comminiscitor quidem.
Senecta male instituto onus grauissimum.
Frugi mulier firmum gubernaclum est domus.
Non uerba mulcent dulcia, quem torquet fames.
Peccare bis id ipsum haud sapientis est uiri.
Virtutibus sacrarium est modestia.
Terra omnia aufert, rursus & refert parens.
Quam tantum amamus, uita ad mortem cursus est.
Mulier domus aut calamitas est, aut salus.
Seruat uirum uir, & manum manus lauat.
Satis senex est iuuenis, si sapit satis.
Dominus est asiduus seruus suæ domus.
Et cogita, & loquere libenter de deo.
Fert damna sæpe turpe lucrum maxima.
Vita indiga semper, uita non dici potest.
Mori haud graue est malum, sed turpiter mori.

Robur iuuentutis, senum est prudentia.
Rarum decus mulieribus taciturnitas.
Sapientem facit insipientem temulentia.
Audire præstat quam loqui adolescentulum.
Præsente ui, lex robur amittit suum.
Sine arte diligentia est labor irritus.
Doctrina sordet in ingenio & animo malo.
Diues malus medijs in opibus est miser.
Viuusq; mortuusq; plectitur malus.
Præcox sapientia in puero monstrum est minax.
Bonum est senescere, itemq; non senescere.
Mulierum opes ac magna dos pudicitia.
Dementiam simulare, sæpe sapientis est.
Efferre mulierem est melius quam ducere.
Quod est satis prodest, quod est super officit.
Homo non feres, quod in hominem cadere potest.
Nocere quod potest, licet carum abijce.
Non ferre mortem, mutuum est non reddere.
Quancunq; uixeris lucro apponito diem.
Oratio index animi cogitantis est.
Fidis amicis mentis arcana explica.
Medico fideli trade curam corporis.
Ouum simile ut ouo est, mulieri ita mulier.
Odiosus est seruus qui herum anteit sapientia.
Præcox uoluptas multa parturit mala.
Virtus adæquat clara summis infimos.
Virtus refulget corpore in pulcherrimo.

Nunquam scelesti molliuntur pectora.
Minus sapit, quisquis sibi placet nimis.
In fœmina inuenire difficile est fidem.
Immane corpus est, sed absq; corde plebs.
Affecti animi medicina grauis oratio.
Vis magna legis, iudicem si habet bonum.
Neglexeris si parua perdes maxima.
Fortuna adest, sterte, ac reformida nihil.
Præsente fortuna uel obrue me mari.
Vitam regit fortuna non sapientia.
Sequitur uoluptatem facile infortunium.
Negocium ne exhibe amico quantum potes.
Quanuis pusillum hostem aut reconcilia, aut doma.
Nequam muliere nulla sæuior fera.
Si recta feceris, comitem habebis deum.
Grauis ægritudo suspicio est mortalibus.
Ignobiles inopia plurimos facit.
Vt comparantur opes, ita expendi solent.
Dos insolentiam parit mulieribus.
Commercium hospitalitas pulcherrimum.
Quod cogitas, nemo, quod facis, omnes uident.
Calumnia & mendacium uitam necant.
Quemq; impium ac trucem ultio manet sua.
Iniuria animum, corpus ensis sauciat.
De te cuiquam ne credideris plus quam tibi.
Ab omnibus si discrepas, nulli places.
Medicus loquax ægro ægritudo tristior.

Fit arte mite quicquid est ortum rude.
Quod musæ dant uiaticum auferri nequit.
Quum dona inops dat diuiti, dignus odio est.
Longe ante meditatum malum leuius uenit.
Fit sponte similis somnolentus mortuo.
Curas uoluptas temperet honesta graues.
Iners inopia inopem facit miserrimum.
Quis prorsus arrogantum cauit crimina?
Pati tyranni assuescito licentiam.
Flectuntur auro uel Plutonis pectora.
Si cum improbis uersabere, quid ni es improbus.
Ars portus infortuny est mortalibus.
Easdem puta erumnas amicorum ac tuas.
Possessio nulla est quam amici firmior.
Sæpe uxor odit, maxime quæ uir cupit.
Nihil ab irato fortiter fieri potest.
Homo imperitus nil prorsus uidet uidens.
Nil sanctius quam inter malos bene uiuere.
Tegit omnia tempus, omnia itemq; detegit.
Sermo omnibus, sapientia at paucis datur.
Benefacere bono, semper est bono lucrum.
Firmum nihil mortalibus statuit deus.
Iucundum amico amicus est spectaculum.
Homo imperitus non homo est, sed imago hominis.
Peccare pergis auare dum deos uocas.
Vel dic silentio meliora, uel tace.
Qui mutuum reddit cito, facile inuenit.

Ea ſtude facere iuuenis, quæ probes ſenex.
Non inſtruere rudem, inuidia aut inſcitia eſt.
Deſis ne amicis, item & amicis utere.
Deuincit animos munus, & molles facit.
Cum nullo conuenit, qui a ſeſe diſsidet.
In corpore infirmo uigere mens ſolet.
Sint acta tranſacta, & futuris conſule.
Quod ſuſpicare malum, ilico a te pellito.
Omni uacet culpa, quod effers laudibus.
Monere amicum perge, quamuis abnuat.
Virtute quære laudem, non uerſutia.
Ne tu ea facito, quæ in alijs minus probaueris.
Inopi ac probo uiro haud ſatis prodeſt pudor.
Ter miſer es, uxorem ſi egenus duxeris.
De uxore ita age, uti filij bene audiant.
Quod ferre uires non queunt, ne onus ſubi.
Mulierum ocelli pharetra, lacbrymæ tela ſunt.
Feras timebis, at homines multo magis.
Tranquillitas ubi adeſt, procellas proſpice.
Si corrigas, peccaſſe ſæpe profuit.
Triſtes taciturnos uita ut alta flumina.
Sis comis hoſpiti, abeunti non ſis moræ.
Ad uultum heri ſe comparat ſeruus bonus.
Nil maius in rebus homine eſt, ſi mens adeſt.
Cuius pudendum ſit, ne cogita quidem.
Oculis uoluptatis miniſtris impera.
Ne te opprimat dolor, omnia tempus corrigit.

Vltro boni ad bonorum eunt conuiuia.
Quum ceperis bene, bene item peregeris.
Nil iureiurando æquitati inimicius.
Inuidiam amici, & consilium inimici caue.
Ita aurum homines, ut implicant laquei alites.
Quam soluit æuum habenda num felicitas?
Parabile est, natura quod desiderat.
Felicitas, sub rege degere optimo, est.
Qui corpori studet nimis, negligit animum.
Egestas certissima comes est inertiæ.
Incuria est opulentiæ dulcis soror.
Habet qui amicos, non qui opes, is diues est.
Durum cor est, ut polypum tunde flagris.
Compone mentem, ne ira consilium abigat.
Virtus quum habetur, sola possidentis est.
Letale mulsum scorta sunt, fuge si sapis.
Absentem amicum haud aliter ac præsentem ama.
Matris loco nouercam habento filij.
Exerce semper te, ut quum opus fuerit, queas.
Adesto amico, ubi res uocarit, illico.
Letale sibi ipsis robur insipientibus.
Laboris haud pigeat, si honestus est labor.
Perquire meliora, at retine præsentia.
Mori beate, una edocet uirtus uiros.
Labore corpus, discendo animum exerceas.
Ad usq; mortem haud deserit uirtus uirum.
Est ingenui, amorem aut odium in fronte gerere.

Constantem amico amicum, amicum fac tibi.
Furentem amicum fer, sedatum corrige.
Felix, qui noxæ expers adit leti fores.
Imitare facta, quorum amaris gloriam.
Non fruitur hæres tertius turpi lucro.
Tunc maxime audendum, asperæ quum res premunt.
Paliurus, idem & pluma torus est mortuo.
Diuinus animus morte non corrumpitur.
Sit muneri sua gratia, sua sit uenus.
Letale telum in se retorquet inuidia.
Breuis grauisq; esto, quum amicum corrigis.
Conuiuia honesta adi, animum oblectans tuum.
Non bis datur pubescere, fruere tempore.
Aetatis est flos somnium breuissimum.
Si cesseris, dum uiceris, bis uiceris.
Non omnibus læto imbre Iupiter pluit.
Rerum omnium est sua satietas mortalibus.
Turpis uita est morte grauior mortalibus.
Conare concordare regis moribus.
Mores latentes tempus educit foras.
Meditare ubi incipis pericula, & caue.
Benefacientibus deus fauet bonus.
Qui consulit, ne nocte tota dormiat.
Persæpe uincit consilium armatas manus.
Primo malo ni occurris, te plura obruent.
Medicos honora, sæpe si illis indiges.
Manum cadenti da, uiam monstra libens.

Venerare canos, cedeq; senioribus.
Caue laborem præmio fraudes suo.
Eadem omnibus mens, pauperem excludit foras.
Vitiositas est hominibus infelicitas.
Carendum erit uirtute uel pecunia.
Fide ne opibus, quas una nox quit perdere.
Quod esse quit, nunquam id fore haud sponde tibi.
Quamcunq; sortem dij dedere, hanc perferas.
Mortalis omnia esse quis sapiens potest?
Viuamus, & futura sint curæ deis.
Viuamus hilares, fata dum uitam ferunt.
Pergraue licet, leue fit, quod animus agit libens.
Esto Argus erga uirgines natas parens.
Ne iura naturæ in uenere transcendito.
Mœchando, teq; filiosq; polluis.
Pudor heu perijt, & regnat impudentia.
Vt quisq; loquitur ore, ita audit auribus.
Si ut das, ita accipis, quid improbe quereris?
Bene institutum os pulchra harmonia est auribus.
Audire, nil est surdius, nolentibus.
Turpia malorum uerba uenti differunt.
Peccare ne permitte filio parens.
Non omnibus placere in omnibus potes.
Ne solue hominem, tanta arte quem fecit deus.
Heu quæ inuidia, terram inuidere mortuo.
Nefas retegere, quos parens terra occulit.
Idem orcus est & pauperi, & prædiuiti.

Mortalibus communia ſint mortalia.
Multo quam ferrum lingua atrocius ferit.
Sunt pulchra dys, & hominibus gratiſsima.
Honeſta fama tolerabilem inopiam facit.
Non ambulatrix admodum mulier placet.
Populum, ignem, aquam, cohibere difficillimum eſt.
Quantum potes fias ſimilis ipſi tibi.
Dum non miſer ſis, omnia facere expedit.
Aurum malorum dux, idem uitam necat.
Optabile ac certum malum eſt aurum omnibus.
Non arduum eſt, amicum amicum fallere.
Affabilis uel hoſtibus, bili impera.
Ne eſto ad manum præceps, ſed iram comprime.
Perſæpe nolens ira funus efficit.
Malam ne inure criminis cuiquam notam.
Ne in rebus animum turbidis fors deprimat.
Natura cuiq; ſua arma tradidit parens.
Ex proprio contende ſemper uiuere.
Nullum ſine labore fit opus a mortalibus.
Medicina corporis animæ eſto puritas.
Qui ſcire cuncta ſe putat, parum ſapit.
Stultorum aures uerba ſapientum non ferunt.
Riſus ſolutus index dementis animi eſt.
Homo imperitus detur haud iudex mihi.
Quum iuſta poſcis, Herculem ne hoſtem time.
Quin perditum ducis, ſemel quod perditum eſt.
Sede ne ad ignem iners cor exedens tuum.


Argentum & aurum maximæ insidiæ hominibus.
Vterq; fur est, & qui excipit, & qui rapit.
Inertem hominem est necesse rapto uiuere.
Velis modo nauigare, spatiosum est mare.
Serius, ocyus, necesse cunctis est mori.
Quanquam melior est causa inopis, iacet tamen.
Domesticorum inimicitiæ grauissimæ.
Tacere ni obsit, aut loqui prosit, tace.
Bonum minime bonum est, modum si excesserit.
Vitæ magister est speculum prudentibus.
Quum gratia exigitur, beneficium perit.
Inuriæ uir fortis obliuiscitur.
Vt anchora nauem, ita stabilit regnum æquitas.
Ne defueris amico adusq; aram optimo.
Sæpe est finis conuicij infortunium.
Sapiunt tyranni congressu sapientium.
In se redundat ira sæpe acerbius.
Si demis ex uoluptate, es ditissimus.
Sæpe in furorem uertitur tolerantia.
Neq; omnia, neq; omnibus, neq; omni tempore.
Dies bene acta æui instar est longissimi.
Pulchrum minime pulchrũ est, quũ nõ pulchre egeris.
Cui plus licet, quam par est, plus uult quam licet.
Sint rara, delectare quæ apprime uelis.
Pendere de spe merces est grauissima.
Præ quod amarum est animo, dulce est breuissimum.
Pusilli hominem cordis ultio arguit.

Omni harmonia uox est amici dulcior.
Qui plurimum prodest obestq; homini, est homo.
Nulla aspis æque atq; ambitio animum necat.
Frustra sapiens sapit, ipse sibi si non sapit.
Caue aggredi quæ perficere uires negant.
Fors uaria stultum, ratio prudentem regit.
Mensura eadem, aut pleniori reddito.
Sapientis est multa & præclara dicere.
Amittes maxima, minima si contempseris.
Semper potentes in pedes recti cadunt.
Placant deos dona, at homines deuinciunt.
Infesta crede ut tela munera hostium.
Non unquam quisquam quicquã, quam se amat magis.
Persæpe egestas ducit ad sapientiam.
Armatur sero galea saucium caput.
Vel Herculi fuga est honesta tempore.
Repente factum diuitem, iniustum puta.
Quod æquo plus intenditur, disrumpitur.
Fortunam ut ars, fortuna ita artem subleuat.
Rarissimum est, homo diues, atq; idem bonus.
Ne læde quenquam, nam ira senescit tardius.
Hi uera dicunt, ebrij, fatui, pueri.
Partone parcis, ut fruare mortuus?
Vt perfruare dulci, amari aliquid feras.
Inuisa sæpe uita, quibus fors inuidet.
Virtute fultus, uel ruat cœlum, haud time.
Odiosa res, hominem ebrium sobria loqui.

Quæ tanta uirtus iuuerit recondita?
Ex consilio bono, bona opera nascitur.
Vita malos, ni uis malus quoq; fieri.
Quis, qualis est homo, statim honores indicant.
Oratione hominem æstima, non pallio.
Oratio uitæ simulacrum continet.
Quum lingua aberrat, uera sæpe nuntiat.
Quum extollimus aliena, nostra minus placent.
Non fers apes, non mel profecto linxeris.
Dominam tibi parabis, senex si nupseris.
Quisque in malo alieno, in suo nemo sapit.
Ne pollicere quod præstare non queas.
Non gratia ad peccandum te ulla flexerit.
Persæpe damnum pone succedit dolum.
Vitio careto, recta quisquis præcipis.
Contempta tempore sæpe crescit gloria.
Frugalitas uiaticum uitæ optimum.
Non ipsa mors, sed aditus ad mortem est grauis.
Quæ uni accidunt, posse accidere cuiuis puta.
Felicitas mortalibus rarissima.
Condimentorum nihil est dulcius fame.
Sine mente cani, ætati sunt opprobrio.
Sapiens is est, cui nil improuisum accidit.
Fecisse gaude, quæ fors inuideat uiro.
Plus scire, quam loqui, enitere quisquis sapis.
Natura modica, libido in immensum cupit.
Erumna nulla est, fortis quam non perferat.

Amicitia est breuissima inter dispares.
Incendium est amoris ira amantibus.
Quæ fors fert, quam quæ stultitia, lædunt minus.
Quæ olet lucernam, ea olet papyrus optime.
Concordia inter coniuges suauissima.
Impune peccans omnium est miserrimus.
Caue in deum aut uerbo aut opera delinqueris.

F I N I S.



IANVS ANYSIVS Aelio Tolentino S. D.

S I extaret liber, quem ex aduersarijs mea manu eleganti forma descripseram, nõ tantum laboris mi Aeli sustineres, dũ ex ipsis aduersariis & lituris uix elicis lectionem, ut mirum profecto sit, mille mendis non scatere impressos libellos. Ipse tot amicis, rebus & libris in obsidione durissima amissis, ex tot erumnis, ægritudine animi, & aduersa corporis ualitudine uix mei cõpos uobis esse auxilio minime possum. Quo etiam factum est, ut satyras in fronte libri promissas, mutata sententia non emiserim, eo consilio, ut matura recognitione ꝓdeant emendatiores. Si qua ergo erũt errata in hac tumultuaria poematum editione, possum equidem culpam deprecari. Nos si uiuemus, & dabitur emendandi copia, uerã aliquando reponemus lectionẽ. Mendosi exemplaris testimonio, ut alia multa omittã, sunt epigrammata, quibus liber septimus est fraudatus, quæ uisa sunt non indigna, ut libello extra ordinem subscriberemus. Vale.

In Robigalibus.

Nos, deis uisum superis, misella
Vita quis curæ est hominum, repertis
Frugibus lætis, nemora inter alta
Linquere glandes.

Ilicet durus labor ortus, atram
Scindimus terram ualidis lacertis,
Sub iugo tauri gemuere, multo
Imbre madentes.
Dulce per tantos nitidam labores
Iupiter si almo e gremio sororis
Fulserit lætus, superare summa
Horrea messem.
Dij sinistra auertite, si malæ urunt
Farra rubricæ, nebulæq; tristes,
Pœnitet, sero tamen, improbasse
Munera syluæ.
Triste, tot cassas abijsse curas.
Impium dys obijcere hæc, malignam
Sed famem durum tolerare, opem dij
Ferte, precamur.
Hostiam en circum segetes, agrestis
Pompa producit, ceceremq; magnam
Clamat alternis, redimita prisca
Tempora quercu.

Eurotas.

Abstine ab Eurota, sitias licet hospes, in æquor
Nam latice impuro deferor undifluum,
Ex quo pollutas de cæde parentis Orestes
In nostro est ausus fonte lauare manus.

De Ferrando Daualo & Victoria.

Dauale quod uincis, nil mirum, quippe tuum tam
Vincere, quam Iouis est imperitare suum.
Si cor uis animi, si animum Victoria adornat,
Quæ tecum noctes excubat atq; dies,
Si seruat castum Victoria dia cubile,
Vince inuicte heros militiæ atq; domi.

Ad Benedictum Acolytum Cardinalem.

Frugibus ut læto descendit Iupiter imbre,
Inspirat uitam rebus ut alma Venus,
Noctibus ut Phœbe, ut luci sol crinibus aureis,
Præsidet ut salsis Ennosigæus aquis,
Vt rex omnipotens deus imperat omnibus unus,
Obseruant nutum dijq; deæq; patris,
Sic tu Phœbus eris nostris Benedicte camœnis,
Tartareas linguas quum tua tela petent.

Ad Cælium Rhodiginum.

Cæli, ne studijs uaces seueris
Dies perpetuos simulq; noctes,
Quis refers Academiam & Lycium,
Contristant nam animum nimis seuera.
Id ad te ueniunt meridiatum
Sirenrs lepidæ, leuesq; Musæ,
Quibus, si dederis uicissim opellam
His feruoribus impotentis astri,
Leuabunt animi æstuantis æstus.

A Deiphobo hostiũ præfecto Ferrandus rex in colloquio parum abfuit quin interficeretur. A Deipho*bo uero* Priami, Achilles, *ut in antiqua est historia, interfectus est.*

Amico grauiter uulnerato, quum deesset ad medicinas pecunia, Cotta *ut illum seruaret, annuam suam operam locauit.*

Nacius Neapoli *caupo fuit insignis, cuius cellas nobilibus uinis refertas, uel principes uiri frequentabãt.*

Hymellas ex pago Patulci, *fistula claruit, quæ uilla fuit* Virgilij, *in agro neapolitano ad secundum lapidẽ, uia puteolana.*

R*ossani principem dixi.* Q*uod oppidum an* R*usianũ sit, docti uiderint.*

Ouis fœa, ex uitio appellatur.

Ad arcũ domus erat pontaniana, qui est locus Neapoli *celeberrimus.*

Araris a me dictum est, non arar, quod idem sensisse Virgilium *putandum est, qui ararim non ararem scripsit in bucolicis.*

In Neætho, *more græcorum primam syllabã produxi, nam* νήαιθος *est græce.*

Litera perosa laqueum H *est aspiratio, quæ solet in contumeliam obijci. aspiratio uero laqueo aufertur cum uita, spiritu intercluso.*

In Ecloga Aepolo. Sub Daphnidis persona signatur Federicus rex Aragonius.

In Ecloga Coritio. quod puellis turget tractando, & quod tundit femur, ne qd lector turpius suspiceris.

Rursus quae in erratis errata sunt & quae postea occurrerunt sic lector repone.

Fol. 12 in tergo uers. 25 uitiabit.
Fol. 28 uer. 8 in tergo famem.
Fol. 39 uer. 3 ad lineam.
Fol. 56 uer. 20 Chandace.
Fol. 106 uer. 13 in tergo generose.
Fol. 116 uer. 15 in tergo Chelym.
Fol. 141 uer. 18 Branchaleonem.

Neapoli per Ioannem Sultzbacchium Hagenouensem Germanum, Anno 1531. Regnante CAROLO V. Imperatore Augustissimo.